



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

Pars II. De Foro Ordinario Communi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

quòd diffamatus tanquam reus à diffamatore tanquam actore conditionem instrumentorum petere possit. Longè minùs ad restringendam regulam faciunt reliqua, quæ affert Specul. l. c. ut consideranti patebit. ut adeò optimè dixerit Lucius III. cit. C. 8. generale esse, ut actor forum rei sequatur.

## P A R S II.

### De Foro Ordinario Communi.

#### C A P U T I.

##### De Foro Domicilij.

###### §. I.

##### *Domicilium quomodo contrahatur.*

###### S U M M A R I U M.

92. *Discordia DD. quoad modos sortiendi Forum.*
  93. *Divisio Domicilij in Commune & Privatum, Privati in Naturale & Accidentarium.*
  94. *Ad Domicilium contrahendum requiritur animus habitandi stabiliter & habitatio.*
  95. *Non item translatio majoris partis bonorum.*
  96. *Nec habitatio per longum tempus.*
  97. *Animus stabiliter habitandi quomodo requiratur.*
  98. *Potest quis plura simul habere domicilia.*
  99. *Non habet domicilium, qui profitetur se nolle habere.*
  100. *Unde colligatur animus figendi domicilij.*
  101. *Domicilium quandoque haberi potest absque habitatione.*
  102. *Amittitur animo mutandi & actuali mutatione.*
92. Premissis ijs, quæ de Foro Competente universim, ac in genere, dici instituto nostro expediebat: exponendi nunc speciatim

tim sunt modi, quibus illud sortimur, & jurisdictioni subijcimus. Modos huiusmodi & Fori genera Glossa in *L. hæres absens* 19. ff. de *Iudic.* tredecim enumerat, quibusdam omissis, qui poni jure poterant, & recensitis nonnullis, qui ab alijs diversi non sunt. Pauciores alij referunt, & ferè solum communes, extraordinarijs neglectis. Ut ordine ac ratione procedatur: divisionem sequendam duxi supra factam *n. 10.* hac parte II. acturus de Foro Ordinario Communi, quo comprehendo Forum Domicilij, Contractus, Delicti, Rei sitæ.

93. De Domicilio tanquam principali & alijs ampliore modo sortiendi forum acturus, triplex à legibus & interpretibus proditum invenio. Commune, quod erat Roma, velut communis Civium Romanorum sedes & patria; & privatum, idque vel naturale seu Originis, vel Accidentale & adscititium, seu habitationis. Et hoc quidem duplex: unum Voluntarium, quod videlicet quisque sibi pro arbitrio eligit; alterum Necessarium, quod invitis statuitur, puta Relegatis. Utrumque hoc rursus duplex est: unum quod *quasi domicilium* dicitur, ac diuturnam in loco commorationem, non tamen stabilem ac perpetuam requirit: alterum, quod simpliciter *Domicilium* appellatur, ac stabili duntaxat & perpetua habitatione constituitur. Ab hoc tanquam præcipuo ac reliquis celebriore ordior.

94. De modo sortiendi domicilium acerrimè disputant Interpretes, ut ait Menoch *L. 2. de arbitrar. casu* 86. *n. 1.* Erant, qui in arbitrio Judicis collocarent, quando nam quis censendus esset domicilium constituisse, ut referunt Host. & Panor. in *C. ult. de Paroch.* Socin. in *C. ult. de Foro comp.* Dec. *consil. 284. n. 11.* Paris. *L. 3. cons. 12. n. 17.* Verùm hæc opinio solum tunc procedit, quando dubium in aliquo casu est, sitne constitutum domicilium, an non. Ex communi omnium ferè DD. duo copulativè requiruntur, animus stabiliter habitandi, & ipsa habitatio. *L. postliminij* §. 3. & *L. Nihil interest.* 26. ff. de *capt. & postl. revers.* Nam in eodem loco, ut dicitur *L. Cives* 7. *C. de incolis, singulos habere*

*domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet. Et juxta L. Senatores 2. C. ubi Senatores. ibi singulis respondendum est, ubi larem forvent, aut ubi majorem bonorum partem possident, & assiduo versantur. Non igitur sufficit sola voluntas alicubi stabiliter habitandi: quia domicilium re & facto transfertur, non nuda contestatione, ut ait JC. L. 20. ff. ad municipalem. Neque sola habitatio absque animo stabiliter habitandi. L. scire oportet 35. ff. eod. cit. L. 7. C. de incolis. Gloss. & DD. in L. est verum C. eod. Hinc Papin. L. libertus 17. §. 13. ff. ad municip. sola, inquit, domus, quae in aliena Civitate comparatur, domicilium non facit. Quando igitur Mar. Socin. in C. fin. de Foro comp. à n. 27. & cum ipso Farin. Fragn. crim. p. 1. V. Domicilium n. 199. ac alij, diversos modos acquirendi domicilij enumerant, nim. legem & statutum, privilegium Principis, ademptionem dignitatis, ademptionem Prælaturæ, assumptionem Monachatus, Clericatus, Militiæ, Præturæ, Professuræ, Successionem, Relegationem &c. sensus non est, quod illud per hæc sola acquiratur, sed quod quis vi ipsorum alicubi aut habitet stabiliter, aut habitare teneatur. Pariter quando DD. quos refert Farin. l. c. à n. 104. asserunt, per habitationem decennio continuatam, per translationem majoris partis bonorum &c. contrahi domicilium, non id ita accipiendum est, quasi per solam habitationem vel translationem bonorum domicilium acquiratur absque animo stabiliter habitandi, sed quod iste animus inde præsumatur, ut mox dicetur n. 100.*

95. Non tamen requiritur ad acquirendum domicilium, ut quis eò, ubi habitat animo stabiliter permanendi, transferat majorem suorum bonorum partem, uti requiri existimant Petr. Barbosa ad L. exigere dotem. ff. de iudic. n. 62. sibi contrarius ad L. hæres absens §. fin. ff. eod. n. 78. Nec obstant cit. L. 7. C. de incolis verba: *ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum &c.* neque illa L. 2. C. ubi Senatores, ubi pleraque exemplaria loco disjunctivæ aut habent copulativam & leguntque, & *ubi majorem bonorum*

rum

*rum partem possident.* Non enim ibi dicitur, domicilium acquiri, ubi quis habitat simulque majorem bonorum partem habet, quasi hoc ultimum requiratur ad constituendum domicilium; sed solum, quod in dubio, an quis habuerit animum stabiliter habitandi, præter alias conjecturas sit etiam ista, quod quis bonorum suorum majorem partem ibi habet, ubi modo degit. Panorm. & Socin. *ll. cc.*

96. Pariter necessarium non est, ut quis habitet per longum tempus: sufficit enim accessisse animo stabiliter habitandi. Panorm. *l. c. Menoch. l. c. n. 2. Gutier. de Matr. casu 463. n. 13.* ac communis DD. Quando Jura videntur requirere decennium, intelligendum id est de præsumptione, quod scilicet in dubio, an quis accesserit animo figendi domicilium, intentio hujusmodi præsumatur ex commoratione decennali.

97. Hæc quamvis quæ legibus statuta, quæ communi DD. calculo recepta sint, aliqua tamen declaratione indigent. Dubitari potest. I. Quo sensu ad domicilium acquirendum requiratur animus stabiliter habitandi. Videri potest, eum non requiri: nam aliàs nemo fortiretur domicilium. Quis enim est, cui fixum sit nunquam illud & nullo in casu mutare? cum multa accidere possint, quæ aut cogant aut suadeant abire, & nullus non sit ita animo comparatus, ut ad ejusmodi eventus cogitet aliò migrare. Præterea Vagi, ut supra dictum est, ubique sortiuntur domicilium, nec tamen animum habent alicubi stabiliter manendi: sic enim jam desinerent esse vagi. Respondetur, non requiri animum in loco domicilij stabiliter permanendi pro quocunque casu & eventu, sed solum tamdiu, quamdiu inde non avocet causa aliqua rationabilis. Ita Impp. *cit. l. 7. C. de incolis* declarant his verbis: *unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet*, id est, stabiliter permansurus, nisi necessitas abire cogat vel rationabilis causa avocet. Sic Religiosi Ordinum Mendicantium quamvis stabilitatem loci non profiteantur, domicilium tamen & forum sortiuntur, ubi modo sunt: quia habent animum hîc

permanendī, donec Superiorum imperio aliò avocentur. Nec si his invitis aufugerent, domicilium propterea mutarent: quia propriā illud voluntate deserere nequeunt, & tenentur hīc manere: quod sufficit ad domicilium & forum retinendum. Par ratio est de Clericis Beneficiarijs: hi enim cū in loco Beneficij personalem residentiam requirentis domicilium & forum habeant *C. postulasti de Foro comp.* & ibi Butrio *n. 6.* Panor. *n. 4.* Felin. *in C. Dilectus 2. de Rescript. n. 4.* Innoc. *in C. Ex ore de privil. n. 2.* illud non mutant, quamdiu Beneficium retinent, tametsi vel suā culpā, vel privilegio aut statuto concedente, vel negotiorum, aliāve legitimā causā absint. Eadem universim ratio est de ijs, qui vel ex lege alicubi domicilium & forum habent, vel ex mandato Superioris, cuius jurisdictioni subtrahere se nequeunt, recedere non possunt, vel vi contractūs aut quasi contractūs manere alicubi tenentur, indēque aufugiunt. Vagi tametsi domicilium non habeant, habere tamen censentur, & forum ubique sortiuntur, ob rationes allatas suprā *n. 75.*

98. Secundò dubitatur, an quis plura simul domicilia habere possit. Ratio dubitandi est: quia sola domus domicilium non facit *cit. L. 17. §. 13. ff. ad municipalem*, sed requiritur habitatio cum animo perseverandi: qui autem plures ædes habet in diversis territorijs vel Parochijs fitas, modò in hac, modò in illa habitando, in neutro territorio stabiliter habitandi animum habet, & sic nec domicilium; vel si hoc animo in uno habitat, & ad alterum solūm divertit quandoque aut negotiorum aut animi divertendi causā, non in isto, sed tantūm in illo habet domicilium. Verūm *Iurisprudentibus placuit*, inquit Ulp. *L. 6. ff. ad municipalem. §. 2. duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minūs apud alteros se collocasse videatur.* Idem traditur *L. Labeo 5. ff. eod.* & supponitur *C. cū quis 2. de Sepult. in 6.* Non tamen sufficit habere domum in utroque loco. *cit. L. 17. §. 13.* sed requiritur, ut utrobique æqualiter habitet. *cit. L. 5. §. 6. ac C. 2. Panor. in C. Ex parte de Fo-*

ro comp. n. 8. Franc. in cit. C. 2. n. 1. Gloss. & DD. in C. dilectus 2. de Rescript. Navarr. consil. 2. n. 3. de cland. despons. Menoch. consil. 398. n. 23. & consil. 692. n. 21. Hæc tamen æqualitas non est mathematicè dimetienda, quasi necesse sit, ut in uno loco non plus uno die vel hebdomade, quàm in alio habitet; sed moraliter, videlicet ut magnâ temporis parte, tametsi non æquali, utrobique habitet. Ant. Cucus L. 5. Inst. Mor. tit. 4. n. 186. Sanch. L. 3. de Matr. disp. 24. n. 3. Gutier. de Matr. p. 2. casu 64. cum Rosella, Palud. D. Anton. Silvestr. Margarita, ac alijs. Neque obest, quòd dicebatur, quòd talis non habeat animum stabiliter in uno loco habitandi: etsi enim non habeat animum toto anni tempore habitandi, habet tamen animum stabiliter in singulis habitandi per magnam anni partem, v. g. per æstatem in uno, hyeme in altero, ut solent personæ nobiles in calidioribus regionibus. Hoc autem sufficit ad stabilem habitationem. Cæterum ex eo, quòd quis plura domicilia habere potest, non sequitur, quòd possit esse plurimum Civitatum civis: cum plus sit esse civem, quàm incolam & subditum. Nam subditi quoque sunt illi incolæ, qui jure civium non gaudent, Germanis die hinder und beysassen / bey und Inwohner: larga tamen civium appellatione veniunt L. provinciales 190. & L. 2. 39. §. 2. ff. de V. S. & cum illis universitatem constituunt L. Mortuo 27. ff. de fidejuss. multisque eorum privilegijs gaudent Bart. tr. de Repressal. in 1. q. 5. Castr. in L. omnes populi 9. ff. de lust. & iure. ac dispositum in cive, ratione similitudinis inter eos existentis, locum etiam habere videtur in incola. L. Cives 11. C. de Appell. L. Incola 29. ff. ad municip. Chassan. in Consult. Burg. rubr. 3. §. 7. V. & selon. n. 8. quam ob causam Statutis Civitatis, quas incolunt, obligantur. cit. L. 29. Gaill. L. 2. obs 35. à n. 2. Schönborn 3. polit. c. 34. V. Cæterum incola. Hoc modo subditus etsi quis esse possit in pluribus locis, non tamen esse posse in pluribus civem, post Afflict. Arnifæ. Befold. ac alios multis argumentis suadere conatur Knipschild L. 2. de lur. Civit. Imper. c. 29. à n. 143.

99. Tertiò dubitatur, an censeatur contraxisse domicilium, qui diu alicubi habitavit, professus tamen est, se nolle ibi domicilium figere. Standum esse hac ejus declaratione & incolam non censendum asserunt Gloss. & Jason *in §. sed ista. Inst. de Act. n. 54.* Bald. *L. 4. cons. 313.* cum Bart. Dyn. Socin. Marfil. Angel. Tiraq. ac alijs, quos citat & sequitur Menoch. *de arbitrar. L. 2. casu 86. n. 6.* Addit Boër. *in L. Consentaneum. C. quom. & quan. Iudex. n. 107.* talem non contrahere domicilium, etiamsi per mille annos habitaret, quando clarum est, eum ibi esse animo recedendi. Et licet, ut vult Socin. *l. c.* eò transtulisset majorem bonorum suorum partem: eò quòd in his, quæ ab animo nostro pendent, potius stetur declaratione expressâ, quàm facto contrario. Bart. *in L. Non solum §. morte n. 17.* Jason *n. 14.* Rubeus *n. 216. ff. de nov. op. nunt.* Ripa *in C. cum M. de Constit. n. 82.* Menoch. *l. c. n. 8.* Hinc tamen si domicilium quis habere possit in pluribus territorijs aut parochijs, ut modò dictum est: si tamen declaret, se velle domicilium tantum in uno loco habere, ibi duntaxat illud habebit, tamen si in altero loco diutius & frequentius commoretur. Castr. *in L. 2. C. ubi senator. n. 2. & DD. n. præc. allegati.* In Civitatibus tamen Germaniæ passim domicilium & incolatus ex consuetudine vel statuto post annum acquiritur, cum diutius peregrini non tolerantur, si lapso anno jura civium redimere nolint. Gaill. *L. 2. obs. 35. n. 8.* Gilhausen *in arb. Iudic. c. 1. p. 2. §. 2. n. 12.* Schönborn *3. polit. c. 34.* Knipschild *de Jur. Civit. Imp. L. 2. c. 29. n. 104.* nisi Studiorum vel negotij aut muneris ad tempus duntaxat suscepti causâ ibi commorentur.

100. Verùm cum sæpe, qui aliquò se conferunt, non expriment, utrùm accedant animo stabiliter habitandi, idcirco dubitatur quartò, unde iste animus colligatur. Varias conjecturas hic afferunt Interpp. cum ex legibus, tum ex ipsa natura petitas. Prima apud Romanos erat: si quis in aliqua urbe vel regione Larem foveret, id est, domum haberet cum Larario, seu Sacratio domestico, in quo Lares, & Dij penates ac peculiare colebantur.

L. 2.



L. 2. C. ubi Senat. & Clariss. Zanger de except. p. 2. c. 1. n. 21. Secunda, si quis alicubi majorem partem bonorum possideat. cit. L. 2. V. aut majorem. L. Veres 19. §. 2. ff. de iudic. L. is qui §. §. 23. ff. ut in poss. leg. L. 1. C. ubi pet. tutor. C. Ex parte 63. de Foro comp. & ibi Innocent. Bald. L. 1. conf. 411. & L. 4. conf. 58. Tiraq. de retr. lignag. §. 36. Gl. 3. n. 7. simulque ibi instructus ad habitandum ibi habitet. L. 6. §. 2. L. 27. §. 2. ff. ad municipalem. Non enim sufficit, ut existimat Zang. l. c. n. 37. si bona ibi per alios possideat: sic enim quicumque bona alicubi sita habet, acquireret ibi domicilium, tametsi aut nunquam aut raro duntaxat ad res suas curandas eo veniret. Tertia, ac priori affinis est, si rebus, quas alibi habuit, venditis huc venit cum familia, & tota aut majore bonorum substantia, atque hic habitet: censetur enim hic elegisse domicilium & priori renunciâsse. arg. L. nihil 31. ff. de Capt. & postlim. revers. jun. L. assumptio 6. §. 2. ff. ad municipalem. L. 2. C. ubi Senator. L. prædia 28. §. 1. ff. de fund. instr. L. 203. ff. de V. S. Quarta, si assidue hic habitet. Assidue habitasse dicitur alicubi, qui habitavit per decennium. Bald. Alexand. Panor. Host. Ruin. apud Menoch. l. c. n. 15. Mascard. vol. 2. de probat. concl. 535. Wesenbec. in parat. ff. ad municipal. n. 7. Ummius de Foro comp. thes. 1. n. 6. Poterit tamen minori temporis lapsu argui constitutum esse domicilium, si aliæ circumstantiæ concurrant: sicut è contrario neque decennium semper sufficiet. Sic si alibi habens domicilium per decennium Studiorum causâ hic versetur, nemo censuerit domicilium constituisse, nisi aliæ conjecturæ accesserint. Panorin. in C. ult. de Paroch. n. 8. Mar. Socin. in c. ult. de Foro comp. col. 9. Felin. in C. dilectus 2. de Rescrip. Paris. L. 3. conf. 12. n. 17. Quinta, si jus Civitatis alicubi impetravit, ibique habitare cœpit. Alciat. in L. pupillus. §. incola. ff. de V. S. Decian. consil. 283. n. 11. Mascard. l. c. n. 4. Habitacionem præter jus Civitatis esse necessariam ad constituendum domicilium patet ex eo, quod civis quis esse potest, quin sit incola & domicilium habeat. L. cirves 7. C. de incolis, L. municipem,

& *L. ejus* 27. §. 2. ff. *ad municipalem*. Sextam conjecturam addit Zangerus *l. c. n. 55.* de Clerico habente Beneficium residentiam requirens, & septimam *n. 56.* de muliere nupta. Verum hinc conjecturis opus non est, cum certum sit, Clericum sortiri domicilium, ubi habet Beneficium residentiam exigens, & mulierem per nuptias acquirere domicilium mariti, ut mox dicetur.

101. Quinto dubitatur, an domicilium haberi quandoque possit absque habitatione. Affirmativè respondendum est de ijs, qui ratione conditionis & statûs alicubi stabiliter manere tenentur: uti est Senator *L. filij* 22. §. *pen. ff. ad municip.* Miles *L. municeps* 23. §. 1. ff. *eod.* Relegatus in perpetuum aut longum tempus. *cit. L. 22. §. 3.* secus, si ad breve tempus relegatus sit. *L. ejus qui* 27. §. 3. ff. *eod.* Religiosi certo Conventui ac Monasterio ad dicti. Clerici habentes Beneficium, quod residentiam exigat. Quin et si residentiam Beneficium non requirat; nihilominus ratione illius sortiuntur forum quoad Ordines suscipiendos. *C. cum nullus de temp. ordin. in 6.* & Gloss. ac DD. ibi: nec non quoad ea, quæ ipsum Beneficium concernunt. *Can. omnes basilicæ* 16. q. 7. *C. cum conquerente de Offic. Ordin. C. cum capella de privil. C. 1. §. in eos. eodem in 6.* Panor. in *C. postulasti de Foro comp. n. 4.* Covarr. *pract. c. 11. n. 5.* Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 17. n. 11.* & 12. Pax Jordan. *vol. 3. L. 13. tit. 8. n. 241.* Aliud exemplum est de uxore: hæc enim domicilium & forum mariti sortitur, ubicunque ipsa habitet. Idque etiam defuncto viro retinet, quamdiu in viduitate permanserit. *L. fin. C. de Incolis. L. fin. §. 3. ff. ad munic. L. 1. §. 2. ff. de liber. agnosc. L. mulierem 5. ff. de R. V. L. 1. C. de Mulier.* Et quidem sortitur hoc forum quoad omnia. Bald. Cyn. ac alij in *cit. L. fin.* fitque civis ejus urbis, cujus est vir. Bart. in *cit. L. fin.* Gloss. Angel. Joan. de Plateis in *L. civis C. de Incolis.* Bald. *L. 5. consil. 139.* Tiraq. *L. 1. connub. à n. 29.* Addunt tamen Bart. *l. c. Sperelli p. 2. decis. 157. n. 6.* ac alij, quod forum propriæ originis retineat in ijs, per quæ à viri obsequijs non retrahitur.

102. Sextum denique dubium est, quomodo domicilium amittatur. Dicendum est, domicilium, sicut regulariter non acquiritur solo vel animo habitandi vel habitatione, sed utroque, ita non amitti solo animo illud mutandi, aut solo discessu, sed opus esse animo mutandi & actuali mutatione. *L. domicilium 20. ff. ad municipalem, junctâ Gloss. V. domicilium. L. origine 4. C. de municip.* Bald. in *L. ult. C. eod.* Marian. Socin. in *C. licet de Foro comp. n. 54.* Quando Bart. in *L. de jure 37. ff. ad municip. n. 2.* ait, domicilium habitationis, quod nuda voluntate constituitur, posse nuda voluntate transferri, dicere censendus non est, quod nuda voluntas sufficiat ad domicilium vel constituendum vel mutandum, sed quod domicilium pro arbitrio constitutum pro arbitrio mutari possit: aliàs contradiceret ijs, quæ asseruerat in *L. placet. ff. eod. n. 1.* Hinc audiendus non est Petr. Barbosa in *L. heres. §. fin. n. 70. ff. de judic.* asserens, simplici voluntate domicilium extingui, malèque præter Bart. allegans Menoch. *L. 6. præsumpt. 42. & Gaill. L. 2. obs. 36.* malè pariter citans *C. pen. de Foro comp. L. cum quædam 19. ff. de jurisd. & L. libertus 17. §. 11. ff. ad municipalem.* Cæterum ex eo, quod quis è loco recessit cum rebus suis, præsumitur recessisse animo mutandi domicilium. Bart. in *L. assumptio §. ult. ff. eod. & in L. prædia §. 1. ff. de fundo instructo.* Bald. in *rubr. C. si à non comp. jud.* Socin. *l. c. n. 25. & 54. Alex. L. 5. cons. 34. n. 4. Paris. L. 3. cons. 12. n. 13. & cons. 34. n. 20. Menoch. l. c. n. 14.* nisi conjectura alia obftet, v. g. quod tantum hostis aut pestis fugiendæ vel negotiorum causâ discesserit: præcipue si domum hic habet, quam ante suum discessum non vendidit, aut vendere cogitavit.

## §. II.

*An per domicilium habitationis Forum**contrahatur.*

## SUMMARIUM

L 2

103.

103. Forum Domicilij fortius & universalius est quo vis alio Foro.  
 104. Conveniri ibi subditus potest etiam absens, & propter contractum vel delictum alibi commissum.  
 105. Domicilium Servi, Liberti, Uxoris, & Heredis non desumitur à propria ipsorum habitatione.  
 106. Habens plura domicilia utrobique conveniri potest.  
 107. Contra subditum alibi delinquentem Iudex domicilij procedere potest etiam per inquisitionem.  
 108. Potest, qui duo habet domicilia, in alterutro, quo maluerit, Sacramenta suscipere & matrimonium contrahere.

103. Forum quemque sortiri, ubi habet domicilium, adeo certum est, ut soli illi, qui domicilium alicubi habent & incolae sunt, propriè ac simpliciter sint subditi, ut suprâ dixi. Estque Forum Domicilij generale, seque ad universam jurisdictionem contentiosam & voluntariam extendens, & ut loquitur Bald. in rubr. C. si à non comp. jud. præcipua jurisdictionis causa, fortiusque omni alio foro & potentius. Cagnol. in L. exigere dotem ff. de judic. n. 9. Petr. Barbosa in L. 19. §. ult. ff. eod. n. 34. cum communi DD. & concurrat cum alijs foris, ut supponitur cit. L. 19. §. 1. & 4. ac L. 2. C. de jurisdic. excepto foro Feudi, quando dominus feudi non est simul Iudex domicilij; & foro rei sitæ, ut infrâ dicitur n. 216.

104. Hinc in loco domicilij conveniri quisque potest tam civiliter, quàm criminaliter, etiam ratione contractûs alibi celebrati, & delicti alibi commissi. cit. L. 19. §. ult. C. dilecti de Foro comp. Panor. in C. fin. eod. n. 38. & Felin. n. 23. Butr. n. 16. Socin. n. 8. & 45. Castr. in L. 2. §. legatis ff. de judic. Covarr. pract. c. 11. n. 6. Et quidem etiam de ijs, quæ gessit ante domicilium & forum hic obtentum. cit. L. 19. §. 1. & ult. L. pen. ff. de iurisd. L. ult. C. de Incol. Panor. cit. n. 38. & 39. Surd. consil. 313. n. 66. Poteritque etiam absens citari, & non comparens in contumacia constituitur, ut non tantum immissio in ejus bona fieri possit (quod est commune etiam Foro rei sitæ & delicti, ut infrâ dice-

dicetur) sed poenis etiam & censuris compelli, ut se sistat, ac in causis, ubi litis contestatio non requiritur, procedi potest ad sententiam & executionem realem. *L. 4. §. prætor. ff. de damno inf. C. causam de dolo & contum. Gloss. ibi. V. ad domum, Alex.* ac alij in *L. cum quædam. ff. de iurisd.* cum Judex domicilij retineat in subditum jurisdictionem, quocumque ille loco existat, & subditus semper maneat subditus, ubicumque est. Gaill. *L. 2. obs. 36. n. 12. Gilhausen arbor. judic. c. 1. p. 2. §. 2. n. 14. Ummius l. c.*

105. Aliquæ à regula modò tradita personæ excipiendæ sunt, in quibus conveniendis non ipsarum, sed aliorum domicilium spectatur. Primsò enim servus conveniendus est coram sui domini Judice. *L. 1. C. ubi de caus. stat.* Secundò libertus ejusque filij coram Judice domicilij patroni. *C. 22. ff. ad municip. Decian. tract. crim. L. 4. c. 8. n. 1. Umm. process. judic. disp. 4. th. 1. n. 6.* Tertiò uxor & vidua in loco domicilij maritalis. *cit. L. 22. §. 1. L. pen. pr. ff. de iurisd. L. ult. C. de jur. liber.* ubicumque ipsa habitet. Deciau. *l. c. à n. 2. Gilhausen l. c. n. 10. Zanger. de except. p. 2. c. 1. n. 56.* Aliud obtinet in sponsa de futuro: hæc enim non coram sponsi, sed suo Judice convenienda est. Decian. *cit. L. 4. c. 9. n. 54. Umm. l. c.* Quartò hæres ibi convenitur & defenditur, ubi defunctus conveniri & defendi debuit, adeò ut nullo suo privilegio, nullaque fori præscriptione illud forum declinare possit. *cit. L. 19. prin. ff. de iudic. ibi: hæres ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, & conveniendus, si ibi inveniatur, nulloque suo privilegio defendatur, id est, defenditor.* Quæ verba magnam inter interpretes discordiam pepererunt, quòd posteriora prioribus contradicere videantur, nam dicitur primò hæres & absens defendendus, ac postea dicitur conveniendus, si ibi inveniatur, id est, si præsens sit. Respondent Petr. Barbofa *ibi n. 12. & Oliva 3. p. Fori Eccl. q. 24. n. 4.* secuti Bart. in *L. fideicommissum. ff. eod. Baldum in L. 2. ff. de iurejur. col. 25. Aretin. in C. quia de iudic. n. 4. Anchar. cons. 244. n. 4. sensum*

legis alium non esse, quàm quòd hæres in loco, ubi defunctus conveniendus erat, respondere debeat, sive absenti sive præsens ibi sit. Verùm huic expositioni obstare videntur verba *si ibi inveniatur*. Castr. in cit. L. 19. §. 1. n. 2. Angel. ac alij existimant, constitui discrimen inter defunctum & hæredem, ita ut licet ille in loco sui domicilij conveniri potuisset etiam absens, conveniri tamen ibi nequeat hæres, nisi ibi præsens. Quam tamen explanationem ægrè admittunt verba *hæres & absens*. Communior responsio est, conveniri in domicilio defuncti posse hæredem etiam absentem à loco illius domicilij, si litem defunctus jam contestatus aut saltem citatus fuit, juxta L. si is 34. ff. eod. secùs, conveniri tantùm posse, si ibidem præsens est. Sed non vacat hanc litem facere nostram. Illud receptum est, legem loqui de illis tantùm obligationibus, propter quas defunctus, si viveret, conveniri posset; non verò de illis, quæ ab ipso in hæredem non transierunt. Unde inferunt, non posse istum conveniri pro legatis & fideicommissis in domicilio defuncti, tamen ibi reperitur: posse tamen conveniri in loco, ubi major pars hæreditatis existit. L. si fideicommissum 50. ff. de judic. Tiraq. L. 1. retract. §. 36. Gloss. 3. n. 6. Molin. L. 3. de primogen. c. 13. n. 37. Gomez. tom. 1. c. 12. n. ult. Barbosa l. c. n. 34. & 49. Utrùm verò illa verba *nullòque suo privilegio defendatur*, intelligenda sint duntaxat de privilegio & favore privato, an verò etiam de communi, v. g. num Clericus successor Laici coram defuncti competente Judice Laico conveniri possit, commodius infra, quando sermo erit de Foro competente Clericorum, decidemus. Cæterùm si ipse hæres agit, petitionem hæreditatis facere debet, ubi res hæreditariæ tempore decedentis testatoris extiterunt. tot. tit. C. ubi de hæred. agi oport. etiam alibi depositæ. L. 1. §. 37. ff. depositi. nisi eo fine depositæ & destinatæ fuerint, ut ibi perpetuò manerent. L. ex facto §. rerum ff. de hæred. instit. Bartol. & DD. ibi. Quintò illi, qui sunt de familia sive Clerici sive Laici, domicilium & forum ex persona patrisfamilias consequun-

sequuntur. Umm. *l. c. in fine* Et speciatim de familia Clericorum Decian. *cit. c. 9. à n. 47.* Farin. *q. 8. n. 26.* Tertacinq. *l. 2. resolut. tr. de Foro comp.* Sed non absolute & sine discrimine verum est, quòd familia Clerici habeat forum Eccl. quod ipse Clericus, ut infra de Foro compet. Clericorum dicitur. Sextam exceptionem facit Ummius *l. c.* defensorem ibi comparere debere, ubi ipse principalis se defendere necessum habet. *L. 139. ff. de V. O. & L. 49. ff. de judic.* Verùm hæc non est exceptio: cum principalis, non defensor, conveniatur, & sic necessariò defensio fieri debeat, ubi stare iudicio deberet principalis, si præsens esse vellet au posset.

106. Ex dictis consequens est I. quòd reus conveniri possit in loco domicilij etiam ratione contractùs alibi initi & delicti alibi patrati: dummodo alibi non fuerit præventus. *C. fin. de Foro comp. L. consensisse 2. §. 3. L. hæres 19. §. 2. §. ult. ff. de judic. L. 2. §. 5. pr. C. de jurisd. om. jud. L. ult. C. ubi in rem actio. L. 3. C. ubi causæ statùs.* Panorm. *in C. ult. de Foro comp. n. 41.* asserens esse communem, Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 39. n. 3.* Eadem est ratio de casu, quo quis plura habet domicilia: potest enim in singulis conveniri cum jure præventionis. Et quidem juxta arbitrium actoris vel accusatoris vel in hoc vel in illo. *C. ex parte 15. de Foro comp.* Panor. *in C. dilectus de rescrip. n. 6.* Ant. Butrio *n. 18.* Felin. *n. 10.* Ratio est, quòd Judex utriusque domicilij, & Judex æquè domicilij, ac contractùs vel delicti, est competens; quivis autem conveniri potest coram Judice suo competente.

107. Quod modò dixi, Judicem domicilij contra subditum procedere posse propter delictum etiam alibi patratum, receptum est ab omnibus Interpp. teste Covarr. *c. 11. præf. n. 6. §. bis equidem & §. quam ob rem,* si accusator adsit. Receptum pariter eodem teste est, posse vi Juris Pontificij Judicem domicilij procedere etiam per inquisitionem. *C. ex parte, C. dilecti, C. cum contingat de Foro comp. C. cum nullus de tempor. ordin.*  
in 6.

*in 6.* An verò hoc possit etiam de Jure Civili, controversum est, multis negantibus, affirmantibus plurimis, quos congerunt Covarr. *l. c.* Farin. *de inquisit. q. 7. n. 19. § 20.* Mihi affirmativa videtur probabilior: tum quòd generalis consuetudo eam approbavit, uti testatur Clarus apud Farin. *cit. n. 20. § Carpz. p. 3. crim. q. 110. n. 8.* tum quòd *L. si quis 10. C. de Episc. & Cler. seculari* Judici potestas datur puniendi Laicos, qui in Ecclesijs delinquant, tametsi ista sint extra ipsius territorium & jurisdictionem, nullo factò discrimine inter accusationem & inquisitionem: tum denique, quòd nec lex 2. §. 5. ff. *ad L. Jul. de Adult.* quæ pro negante sententia adducitur, aliquid probat, uti consideranti patebit; nec ratio, quam adducunt, nimirum, quòd nulla injuria inferatur Reipublicæ & territorio per delictum alibi patratum. nam præterquam quòd subditi etiam alibi delinquentes notam & probrum inurunt suæ Reipublicæ, coërcendi sunt, ubi & quamdiu sunt subditi, quales sunt, etiam dum alibi existunt, estque territorium expurgandum sceleratis, ne obtentà impunitate & ipsi prolabantur in deteriora, eadèmq; domi, quæ alibi, perpetrent, ac concivium animos corrumpant. Accedit, quòd dicta ratio nimium probet, quia sequeretur, nec per viam accusationis procedi contra illos posse, quod tamen fieri posse ipsi adversarij affirmant.

108. Consequens est II. eum, qui duo habet domicilia, posse in alterutro, quo maluerit, suscipere Sacramenta & matrimonium inire. Patet ex *C. omnis de pœn. § remiss. C. cum inhibitio de clandest. despons. Trident sess. 24. c. 1. de Reform. Matr.* vi quorum quivis Sacramenta percipere potest ac tenetur à proprio suo parochio: est autem proprius parochus ille, ubi quis habet domicilium. Patet insuper ex *C. 2. §. cum ab eo de sepult. in 6.* ubi dicitur, si is, qui duplicem parochiam habuit, in tertio quopiam loco sepulturam elegit, inter utramque ipsius parochiam dividendam esse canonicam portionem: nec dicitur, solvendam illi soli, in qua defunctus tempore mortis habitavit. Similiter ergò Sacramenta in-

diffe-



differenter recipi in utraque possunt, cum Sacramentorum receptio æquè sit inter jura parochialia, ac canonica portio. Et ita cum Franco aliisque docent Navarr. in C. placuit de Pœnit. dist. 6. n. 78. Henriq. de Pœn. L. 6. c. 7. n. 2. Sanch. L. 3. de Matr. disp. 24. n. 5. Bonacin. de Pœn. disp. 5. q. 7. pun. 2. prop. 2. Suar. eod. disp. 25. sect. 2. n. 5. Oliva de Foro Eccl. p. 3. q. 18. n. 45. contra Paludan. Silvest. Tabien. Angel. Rosell. ac alios, qui tenent, ibi solùm suscipi ea posse, ubi suscepturus tunc temporis habitat.

## §. III.

*An per quasi domicilium Forum  
acquiratur.*

## S U M M A R I U M.

109. Status quæstionis proponitur.  
 110. Habens quasi domicilium Sacramenta, exceptis Ordinibus, suscipere potest.  
 111. Ac dispensationem in votis, & juramentis impetrare; habere sepulturam; & jungi matrimonio.  
 112. Tenetur Statutis & Consuetudinibus loci.  
 113. Tametsi animum habeat solum per aliquot menses habitandi.  
 114. Excipitur Princeps.  
 115. In loco quasi domicilij nemo conveniri potest propter delicta alibi patrata, aut initos alibi contractus.  
 116. Respondetur ad opposita.

109. Quasi domicilium habere dicuntur, qui diu & per majorem vel magnam anni partem alicubi commorandi animum habent, non tamen stabiliter & perpetuò, uti Studiosi in Academijs, famuli, negotiorum gestores, milites præsidarij &c. An isti in loco quasi domicilij forum fortiantur æquè ac illi, qui habent domicilium, gravis & parùm explicatè à DD. agitata, multò minùs decisa quæstio est. Secerni hîc oportet Jurisdictionem Contentiosam à Voluntaria.

110. Quoad Voluntariam sacram convenit inter Interpp.  
 M primò

primò, non posse Ordines Ecclesiasticos conferri ab Episcopo quasi domicilij, sed adeundum esse Episcopum Domicilij aut Beneficij, aut Originis: sic enim traditur *C. cum nullus 3. de Temp. Ordin. in 6.* & patet ex Trident. *sess. 23. c. 9. de refor.* ubi nec Episcopo suum familiarem non subditum ordinare permittitur, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacunque fraude cessante, statim reipsa illi conferat. Cum igitur suos duntaxat familiares, seu qui de ipsius familia sunt, & quidem sub dictis solum conditionibus ordinare possit, consequens est, quod non possit reliquos, qui in ipsius Dioecesi solum habent quasi domicilium. Convenit secundò, estque ferè ab omnibus receptum, habenti quasi domicilium posse ministrari Sacramenta necessaria, qualia sunt Pœnitentiæ & S. Eucharistiæ: quibus communiter addunt Confirmationem & Extremam Unctionem. Et quamvis Navarr. *in C. placuit 3. de Pœnit. dist. 6. notab. 4. n. 85.* existimet, hoc tantum fieri posse ex licentia expressa vel tacita parochi domicilij, Glossa tamen in *Clem. 1. de privil.* communiter recepta, Panorm. *in C. omnis de pœn. § remiss. n. 23.* Innoc. ac alij, negant ullâ licentiâ opus esse. Neque admittendum videtur, quod non pauci asserunt, id locum non habere, quando parochia domicilij facile adiri potest: nam praxi universali contrarium observatur, teste Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 17. n. 45.*

III. Potissimum igitur quaritur de Matrimonio, Dispensatione in Votis & Juramentis, ac Sepultura. Quoad ista acquiri forum per quasi domicilium negant complures, quos accumulat Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 23. n. 11.* & Oliva *l. c. n. 46.* Placet affirmativa, quam tenent Sanch. *l. c. n. 12.* ubi multis eam firmat rationibus, Lessius *lib. 4. de iust. c. 2. n. 47.* ubi eam teneri ait à plerisque R. R. & usu confirmari, Delbene *de Immun. Eccl. c. 11. dub. 1. sect. 1. n. 13.* qui pariter de usu testatur, Laym. *lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 5.* post Glossam in *Clem. 1. de privil.* Panor. Palud. Gabr. ac alios. Hinc immeritò pro ea solum citat Sanchezium Oliva *l. c.* cujus rationes solvere debuit, antequam  
eam

eam diceret vix probabilem. Temerè quoque dicit, temerè dictum esse, quòd parochus proprius, quem Trident. *sess. 24. c. 1. de refor. Matr.* ad matrimonium requirit, non fit tantum parochus domicilij, sed etiam quasi domicilij: nam pariter *C. omnis utriusque. de Pœn. § remiss.* requiritur proprius parochus ad Sacramentum Pœnit. & tamen hic juxta ipsum etiam Oliva est etiam parochus quasi domicilij. Ex quo proinde (ut alias rationes omittamus) satis probatur posterior sententia: si enim parochus quasi domicilij est proprius quoad Pœnitentiam & Eucharistiam, non est ratio, cur non etiam fit quoad Matrimonium & reliqua: excepto Sacramento Ordinis, ad quod recipiendum, ut dixi, requiritur Dioecesis domicilij *cit. C. 3. de temp. Ordin. in 6.* ubi cum additur *in hoc casu* requiri domicilium, satis indicatur, in alijs casibus non requiri, sed sufficere quasi domicilium. An idem dicendum sit de alijs actibus ad jurisdictionem voluntariam pertinentibus, quales sunt Adoptio, Manumissio, Emancipatio, Legitimatio, Insinuatio donationis, Testamenti factio apud acta, Approbatio contractûs, Privilegiorum concessio & confirmatio, ac similes, nimis longum foret intra harum paginarum angustias examinare.

112. Major contentio inter DD. est de Jurisdictione Contentiosa, an videlicet huic subijciat quasi domicilium. Dubitatur imprimis, an peregrini, seu ij, qui alibi domicilium habent, hujus loci, ubi per magnam anni partem habitant, Statutis ac Consuetudinibus sint subjecti. Negant Gloss. *in C. quæ contra dist. 8. V. aut peregrini*, Specul. *rubr. de Constit. n. 7.* Archidiac. *in C. illa. dist. 12. V. serva*, Joseph. Angles *in 4. q. 4. de jejunio ante dub. 1. diffic. 2.* Pasqual. *de jejun. decis. 203. n. 3.* ac alij apud Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 18. n. 8.* Fagundez. *in præc. Eccl. tr. 1. lib. 1. c. 8. n. 1.* & Delbene *l. c. sect. 3. n. 10.* Verùm, ut longè communior, ita multò probabilior est sententia affirmans. Cùm enima hujusmodi peregrini, qui hic quasi domicilium constituerunt, absolutè sortiantur forum quoad voluntariam jurisdictionem,

ut modò dixi, consequens est, quòd etiam fortiantur quoad subjectionem & obligationem servandi leges, cum hæc obligatio non tantum respiciat bonum privatum singulorum, uti jurisdictio voluntaria, sed etiam publicum, ne alias ordo, quies, & partium consonantia tollatur. Videturque per se absurdum dicere, quòd Studiosi & famuli in alia Diocesi domicilium habentes hic non teneantur jejunare aut Missam audire, quando hic est dies festus aut jejunij, non item in sua patria: tametsi hic per annos complures habitent & magnam populi partem faciant. Certè communi sensui ac rectæ gubernationi est contrarium, ut benè observat Suar. *L. 2. de Festis c. 14. n. 2.* qui propterea priorem opinionem negat esse practicè probabilem. Videri potest Tiraq. *de Retractu lignag. Gloss. 2. n. 26.* & Panor. *in C. quod Clericis de Foro comp. n. 5.* ubi ex Jure & DD. latè firmant, diu commorantes in aliquo loco verè esse incolas, ac forum sortiri.

113. Ex hac doctrina communiter deducunt, quòd sicut ad forum ratione domicilij fortendum necessaria non est longi temporis habitatio, sed sufficit, ut quis locum adeat animo ibi stabiliter habitandi: ita pariter sufficiat aliquò accedere animo diu ibi permanendi, ita ut qui hoc animo accessit, loci legibus statim fiat subjectus, absque eo, ut diu ibi moretur. Dubium verò est, ad quantum tempus hoc manendi propositum se extendere debeat, ad hoc, ut quis non hospes, sed habitator & incola censeatur. Silvest. *V. domicilium n. 2.* Sanch. *l. c. n. 9.* aliique existimant, opus esse, ut majore anni parte habitare velit. Sed conformior juribus videtur doctrina Navarri *tr. de Lubilæo. not. 32. n. 42.* Suar. *l. c. n. 6.* Laym. *L. 1. Th. mor. tr. 4. c. 14. n. 1.* ac aliorum, sufficere propositum habitandi per aliquot menses, præcipuè si domus, conclave, taberna &c. fuerunt conducta. *arg. L. 19. §. proinde. ff. de judic.*

114. Excipiendus tamen hic est cum Tiraq. *de utroque retr. L. 1. Gloss. 1. §. 3. n. 38.* Suar. *L. 3. de Leg. c. 35. n. 14.* ac alijs, Princeps: hic enim non obligatur Statutis municipalibus locorum, ac provinciarum, tametsi longo ibi tempore resideat. Quia hujusmodi

jusmodi Statuta ferè ab inferiore potestate condita sunt, ac idcirco vim obligandi Principem Superiorem non habent. Quà de causâ Canonistæ asserunt, Legatum Pontificium non ligari legibus Episcoporum. Neque refert, hujusmodi leges à Principe confirmatas fuisse: censetur enim solum approbare pro loco determinato ejusque subditis; non pro tota Republica, cujus ipse caput est: nisi in eodem stabilem sedem habeat.

115. Alterum dubium est, an per quasi domicilium forum ita acquiratur, ut ibi conveniri quis possit etiam de contractibus alibi celebratis, & de delictis alibi commissis. Negant Hostiensis in *C. quod clericis 9. de Foro comp.* Bartol. in *L. 19. ff. de Iudic.* aliique communiter. Distinguunt Alex. *vol. 6. consil. 216. n. 14.* & Farin. *L. 1. de Inquis. tit. 1. q. 7. n. 5. sublim. 2.* aiuntque, puniri in loco quasi domicilij posse, qui alibi deliquit tempore hujus domicilij jam contracti, e. g. si quis, dum est in famulatu aut in studijs hic Ingolstadij, delinquat Neoburgi; secus, si ante constitutum hic quasi domicilium alibi deliquit. Affirmat simpliciter Panor. in *cit. c. 9. n. 5.* allegans Bart. Innoc. Joan. Andr. & Archid. sequiturque Laymanus in *C. ult. de Foro comp. n. 19.* Mihi attento Jure scripto & seculisa consuetudine verior videtur prima sententia: cum postrema Panormitani nullum inter domicilium & quasi domicilium discrimen constituat, & hujus forum æquè late extendat, ac illius, contra *L. hæres 19. §. ult. ff. de judic. C. delicti 17. & C. ult. de Foro comp. C. 1. eod. in 6. L. juris 2. C. de juris d.* ubi soli domicilio hæc fori universalitas & concurrentia cum alijs foris tribuitur. Frustrâ profectò à Legibus ad constituendum domicilium & forum in illo sortiendum requireretur (uti requiri dixi suprâ à n. 94.) simul cum habitatione animus stabiliter habitandi, si quasi domicilium id omne operaretur, quod operatur domicilium.

116. Non obstant Jura, quæ pro se adducit Panor. Non quidem *L. 2. C. ubi Senatores*: quia ibi sermo est de domicilio. Non *L. quisquis 16. C. si certum pet.* nec *L. sciens 3. C. ubi de crim. agi oport.* quia ibi quoque agitur de loco domicilij, aut de eo, ubi

delictum est patratum. Non denique *C. ex parte 15. de Foro comp.* quia ibi solum asseritur, quod actio realis intentari possit in loco rei sitæ.

## §. IV.

*An per domicilium Originis acquiratur*

Forum.

## S U M M A R I U M.

117. Originem quisque habet in domicilio patris, quandoque avi, quandoque matris.  
 118. Non ibi, ubi natus est solum in transitu.  
 119. Proponitur opinio asserentium, quemvis in loco originis conveniri posse.  
 120. Opinio negantium.  
 121. Hanc firmat Consuetudo.  
 122. Licitum regulariter est mutare domicilium.  
 123. Respondetur ad opposita.  
 124. In loco Originis suscipi Ordines Ecclesiastici possunt.

117. Originem quivis habere dicitur non solum ibi, ubi ipse, sed etiam, ubi legitimus ejus pater natus est: cum filius non tantum suam, sed & partis originem sequatur. *L. assumptio 6. ff. ad municipalem. §. 1. L. filios 3. C. de Municip. §. origin.* Imò non tantum patris, sed etiam avi *L. Libertus 17. §. 9. ff. ad municip. & ibi Bald. n. 4. Bart. in cit. L. 3. n. 2.* dummodo vivente avo conceptus fuerit. *Felin. in C. postulasti de Foro comp. n. 1. Alex. lib. 5. conf. 16. n. 9. Cyn. in L. 2. de jurisd. Mascard. de probat. concl. 1147. à. 12. Petr. Barbosa. in L. 19. §. proinde de judic. n. 28.* Requirit tamen *Bart. in cit. L. 6. §. 1.* ut sit in potestate avi. Sed hoc reprobat *Barbosa l. c. n. 30.* eò quod juxta *cit. L. 17.* nepos sequatur originem avi naturalis, tametsi natus sit in adoptiva familia: quo casu certum est non nasci in potestate avi naturalis. *§. pen. Inst. quib. mod. jus patr. potest. sol.* Non tamen fortimur originem ulteriorum ascendentium. *Gloss. in cit. L. 6. V. non domicilium, &*

*in cit. L. 3. Bart. in cit. L. 6. §. Filius n. 1. Boër. decis. 13. n. 7. & 8.* cum comm. ne scilicet progressus fiat in infinitum, & forum habere dicamur in agro Damasceno, ex quo communis omnium nostrum parens eductus fuit, ac in maxima orbis parte, quam successivè nostri majores habitârunt. Neque filius legitimus sequitur originem matris. *cit. L. 3. C. de Municip.* nisi quis ex captivis parentibus natus patre in captivitate mortuo cum matre postliminiò reversus fuerit. *L. 1. C. de postlim. revers.* aut natus fuerit ex ancilla & ingenuo: nam tunc matris conditionem sequitur. *L. hiqui 12. C. de Murilegulis. L. Nati 29. C. de Decurion. L. ex ingenuo 4. C. de agric. & mancip.* quemadmodum etiam ejus, qui justum patrem non habet, prima origo à matre, eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet, ut inquit JC. *L. 9. ff. ad municip.* Idemque de vulgò quæsitis tradit Ulp. *L. 1. ff. eod.*

118. Quod verò dicitur, quemvis esse originarium ejus loci, ubi natus est, duntaxat procedit, si parentes ibi domicilium habuerunt, dum ipse nasceretur: secus, si tantum in transitu matris alicubi editus esset; nam tunc non hujus loci, sed ejus, ubi parentes domicilium habebant, originarius censebitur. *Bart. in cit. L. 3. C. de Munic. & orig. Panor. in C. Rudolphus 34. de rescrip. n. 9. & Felin. n. 13. Boër. decis. 13. n. 52. Dec. in L. 19. §. proinde. ff. de judic. Bald. Angel. & Albert. in L. hujusmodi 84. §. legatum. ff. de Legat. 1. Diaz in prax. crim. c. 54. n. 27. Navarr. cons. 41. n. 2. & 3. de præb. Barbosa de potest. Episc. alleg. 4. n. 18. Mascard. l. c. n. 5. Sumitur ex cit. L. 84. §. 10. de legat. 1. Contrarium tenent, & absolute originarium quemvis censi ibi, ubi etiam in transitu natus est, tradunt Imol. Cuman. Alex. & Paul. Castr. ac alij apud Mascard. l. c. n. 6. & Oliva p. 3. For. Eccl. q. 21. n. 5. Has opiniones conciliat Petr. Barbosa l. c. n. 18. dicendo, primam habere locum, quando proles nata est in itinere, quo parentes redibant ad domicilium, à quo ad tempus abfuerunt v. g. negotiationis causâ. Secundam verò tenendam, quando priore domicilio omninò deserto aliò migrabant, & proles nata est in itinere ad no-*

vum

vum domicilium. Aliam conciliationem molitur Mascard. l. 6. n. 7. cum Ripa, Riminaldo, ac Rebuffo, asserens, primam esse veram, si proles concepta fuit in loco domicilij parentum, & nata tantum in itinere, ac loco, ubi parentes non statuerunt domicilium: secundam verò procedere, si proles & concepta & nata fuit in itinere; tunc enim ejus tantum loci, ubi concepta & nata est, habendam esse rationem, non domicilij parentum. Mihi conciliatio prima verum continere videtur; secunda quoque quoad primam ejus partem; quoad alteram meritò dubitatur propter L. 1. C. de postlim. reversis, juxta quam proles ex duobus captivis nata, originem patris sequitur, si parentes ad domicilium postliminiò rediissent, tametsi alibi in captivitate concepta & nata fuerit, ut indicant verba: *quæ capta non est*. Addi casus alius potest, quem DD. non exprimunt, quando videlicet proles concepta fuit in uno loco, ubi parentes domicilium habebant, ac postea nata est in alio, ubi illi novum domicilium constituerunt: & tunc posterior locus non tantum domicilij, sed etiam originis censendus videtur, cum jura maximè considerent nativitatem. L. 1. prin. ff. ad municip. & L. Civis C. de incolis. Neque obstat, quòd conceptus pro nato habetur L. qui in utero 7. ff. de statu hom. hoc enim solum verum est, *quando de commodis ipsius partus quaeritur*, ut Paulus ibi dicit: originem autem sortiri odiosum æquè ac favorable est, saltem si origo dat forum.

119. Sed quaestio jam est, utrum origo det forum, seu, utrum in loco originis, æquè ac in loco domicilij, conveniri quis possit, tam in criminalibus, quàm in civilibus, tametsi domicilium habitationis aliò transtulerit. Affirmant Bart. in L. adsumptio 6. §. 1. ff. ad municip. n. 2. Panor. in C. fin. de paroch. n. 6. Felin. in C. fin. de For. comp. n. 24 Dec. in L. cum quædam puella. ff. de juris d. n. 5. Diaz in prax. crim. c. 8. Petr. Barbosa in L. 19. §. proinde. ff. de iudic. n. 35. ubi ait, hoc esse receptissimum. Receptum quoque dicit Matth. de Afflict. decis. 384. n. 2. Afferunt C. pen. de Temp. Ordin. in 6. L. Incola 29. jun. Gloss. ff. ad municip. L. 1. C. de Municip.



§ *Origin.* & *L. 4. C. eod* ubi dicitur, manifestum esse, origine propria neminem posse suâ voluntate eximi. Idemque traditur *L. seqq.* Ex quo inferunt, quemvis gaudere honoribus loci originis, & non tantum ad tutelam cogi ibi posse (quod solum concedit *Gloss. in cit. L. 6. §. 1.*) sed etiam ad omnia alia onera, licet aliò domicilium transtulerit, juxta *L. 1. §. ult. C. de municip. §. origin.* traduntque ibi *Bart. & Bald.* idemque *Bart. in cit. L. 6. Ant. de Butrio in C. accedens 2. ut lite non contest. n. 21. Alex. vol. 2. conf. 157. n. 13. Panor. l. c. n. 6. Ruin. vol. 4. conf. 120. n. 5. Boër. decis. 13. n. 13. Menoch. consil. 1176. n. 6. ac alij.*

120. Negant conveniri quemquam posse in domicilio originis, si non ibi, sed alibi habeat domicilium habitationis, cit. *Gloss. in L. 6. ff. ad municip. V. domicilium*, & *Glossa in c. ult. de paroch. V. habitatores*, ibique *Butrio n. 6. Hostiens. tit. de Foro comp. §. quib. ex caus. V. item ratione*, *Gemin. in c. cum nullus de temp. ordin. in 6. n. 10. & Franc. ibid. n. 3. Matth. de Afflict. l. c. Surd. conf. 313. n. 63. Decian. vol. 5. conf. 49. n. 15.* Stant pro hac opinione *cit. c. ult. vi* cujus illi Christiani, qui ex varijs Palæstinæ urbibus domicilium transtulerunt *Acconem* seu *Ptolomaidem*, hîc tantum, & non ibi, unde discesserant, conveniri potuere. Et *c. ult. de Foro comp.* ubi inter modos fortiendi fori omittitur domicilium originis.

121. Verum quidquid sit de Jure scripto, praxi & consuetudine universali receptum est, ut nemo in loco originis vel i-civilibus vel criminalibus conveniatur, si non concurrat domicilium habitationis. Idque non tantum in foro Ecclesiastico, sed etiam civili obtinet, uti testantur ex Lusitanis *Barbosa l. c. n. 35. & Oliva p. 3. For. Eccl. q. 21. n. 27* ex Italis *Thefaurus decis. Pedemont. 90. ad finem*, ex Germanis *Gaillius L. 2. obs. 36. n. 7 & Knipschildt L. 2. de jurib. Civit. Imper. c. 20.* allegans *Recessum Imp. August. anno 1555. §. wo aber unsere / & Aur. Bull. c. 16.* Igitur originarius renunciâns civitati & domicilium aliò transfrens, civis esse desinit, non solum quoad jurisdictionem, verum  
N etiam

etiam quoad munera, ac eo ipso, quòd mutat domicilium, perdit privilegia, & jura Civitatis. Bald. in *L. 2. C. de Infant. expos.* Jason in *L. 2. §. hujus. ff. de Inst. & Jur. n. 15.* Matth. de Affict. *decif. 384.* ubi illius, quod dicitur *L. 4. C. de Municip. & orig.* neminem sua voluntate posse eximi propriâ origine, sensum esse ait, neminem, quamdiu in loco originis est, sua voluntate facere, ut civis non sit, séque loci muneribus eximat: secus, si locum illum omninò deserat, nunquam rediturus. Hinc verum non est, quod aiunt Barbosa *l. c. n. 110.* Menoch. *L. 6. presump. 42. n. 5.* Matth. Stephani *L. 1. de jurisd. c. 28. n. 58.* & Zanger. *de Exception. p. 2. c. 1. n. 68.* amitti quidem domicilium originis quoad forum & jurisdictionem, non tamen quoad honores & munera, ac onera personalia. Tametsi enim Jure Civili id olim fuerit constitutum, consuetudine tamen abrogatum est. Nec apparet, quomodo ad onera personalia cogi possit, si desit ibi habere forum & jurisdictioni esse subjectus: item quomodo maneat civis quoad honores & munera, si deserendo domicilium originis perdit ejus commoda & privilegia, uti perdere fatetur cum communi DD. ipse Menoch. *n. 6. & 7.* Pariter non placet, quod tradit Zanger. *n. 74.* & Gaill. *l. c. n. 11.* in loco originis quemvis etiam post translatum inde domicilium, conveniri, si ibi inveniatur: nam DD. quos adducunt, loquuntur de Jure scripto, non consuetudinario. Hinc meritò de eorum assertione dubitant Stephani *l. c. n. 77.* Coler. *de Process. execut. p. 2. c. 1. n. 17.* & in *c. Olim. de Except. Vult. in L. 2. C. de jurisd. n. 23.* negatque benè Ummius *ad Process. judic. disp. 4. th. 1. n. 6.*

122. Ex eo porrò, quòd de consuetudine Germaniæ cuiusvis licitum est, solum vertere, & civitatem mutare civitate, etiam dissentiente ac invito Magistratu, factum est, ut in multis locis alio migraturi teneantur solvere gabellas detractionis, einen Abzug/Nachsteuer/Ab: oder Nachschuß/de qua fusè Knipschildt *l. c. Wehner pract. observ. V. Nachsteuer / Speidel. in Lex. jurid. V. Abzug / Ernest. Cothoman. resp. 19. Arumæus ad Aur. Bull. disc. 6. concl. 13. &*

Ru.

Rumelin. *ibid.* p. 2. *disert.* 5. *concl.* 5. An verò valeat Statutum, quo cives & originarij vetantur civitatem & domicilium mutare, controversum est inter DD. Affirmant Bart. in *L. ult. ff. de decret. ab ord. faciend.* Roman. *singul.* 522. & *consil.* 59. col. 1. Menoch. *consil.* 1196. n. 1. & *seqq.* Rumelin. *l. c. concl.* 5. Klock. *de Contribut.* c. 7. n. 242. Bodin. *de Republ.* L. 1. c. 6. Græven. 2. *concl.* 36. *confid.* 2. n. 6. Negat Knipschildt *l. c. n.* 4. cum Besold. ac alijs, quos refert. Horum opinio & libertati naturali, quæ per hujusmodi Statutum nimis constringeretur, conformior videtur, & *legi* 71. §. 2. ff. *Condit & demonst.* ubi Papin. ait, *dici posse, si Titio centum relicta sunt, ita uti in illa civitate domicilium habeat, non esse locum cautioni, perquam jus libertatis infringitur.* Quæ ratio de non tollendo jure libertatis multò fortius pugnat contra statutum, quàm contra legatum sub illo modo relictum: Statutum enim omnes, legatum paucos afficit, & per posterius non imponitur absoluta necessitas certo in loco figendi domicilium, sed tantum sub conditione, si velis habere legatum; absoluta verò per Statutum imponitur manendi in loco nativitatis, ac instar eorum, qui ad remigium damnati aut in insulam deportati sunt, inde pedem non efferendi. Libertas certè deserendi dioecesin competit Clericis (nisi Beneficio saltem curato adstricti sint) nec migrare volentibus negare Episcopus potest testimoniales literas, ut non semel Romæ decisum referunt Campanil. & Riccius apud Barbof. *de potest. Episc. alleg.* 21. n. 6.

123. Contrariam sententiam non satis evincunt leges, quas Menoch. *l. c.* addensat. Non quidem *L. ult. ff. de decretis ab ordin. sac.* quia ibi solum dicitur, non posse quemquam experiri extra collegium, in quo tractanda causa est. Non *L. 2. C. de Offic. Præf. urb.* ibi enim statuitur, non posse Præfectum urbis quasdam personas de provincia avocare in urbem, *nisi tantummodo suos officiales, & populares almæ urbis seditioni obnoxios, seu agitatores urbis* (de quibus Cuiac. *ad cit. L. 2. & lib. 8. obser.* 28.) specialiter ratione muneris urbi adhuc obstrictos. Igitur revocare

non potest quoscunque alios urbis originarios. Non *L. 4. C. de municip. & origin.* ut patet ex dictis *n. 121.* & videri potest Brunemann. *in h. l. Christin. vol. 5. decis. 31. n.* Gail. *L. 2. obs. 36. n. 5.* Sur. *decis. 330. n. 5.* Non *L. ult. C. eod.*: quia plus inde non probatur, quàm quòd is, qui decurionatum aliudve munus in loco originis vel domicilij iam suscepit, non possit ad illud evitandum pro arbitrio inde discedere. Et hoc ipso dum ibidem dicitur, eum, qui migraverit, duarum civitatum decurionatus onera sustinere, in una voluntatis (ubi sponte sibi domicilium elegit) in alia originis, supponi videtur, posse aliò discedere, modò onera utriusque civitatis sustinere velit: aliàs si translatio domicilij non valeret, in nova, quam elegit, civitate, permittendus non esset munus gerere. Non *L. 8. C. de incolis.* quia ibi solùm dicitur, manifestum esse, *originis ratione ac domicilij voluntate ad munia civilia quemque vocari*; non verò, quòd discedere & mutare domicilium nequeat. Non denique *L. un. C. si curialis rel. civit.* ibi enim solùm prohibetur Curialibus, *ne civitates fugiant aut deserant rus habitandi causà*: quia ratione officij certo collegio sunt adstricti. *cit. L. un. & L. 1. ff. de Decurion. ac L. 26. C. eod.* unde à sensu contrario colligitur, reliquis, qui civitati ratione officij, quod gerunt, speciali nexu adstricti non sunt, licitum esse migrare; *quia nihil est impedimento, ut ait JC. L. 31. ff. ad municip. quò minus quis, ubi velit, habeat domicilium, quòd ei interdictum non sit*; quod quandoque interdici posse non negamus, videlicet si quis publicis muneribus destinatus nondum perfecto munere renunciare incolatui velit. *L. Incola 34. ff. eod.* aliisve peculiaribus de causis, quas refert Glossa *in cit. L. 31.*

124. In domicilio Originis non acquiri forum, saltem de consuetudine, nisi sit simul domicilium habitationis, hætenus dixi. Casus unicus excipiendus est quoad Ordines Ecclesiasticos: hos enim conferri posse ab Episcopo originis constat ex *C. cum nullus 3. de temp. ord. in 6.* ibi: *superior in hoc casu intelligitur Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat*.

rat, oriundus &c. Ubi dum dicitur *in hoc casu*, videtur significari, hunc casum esse specialem & exceptum, & quoad alia forum non acquiri in loco originis. Glossa, Gemin. n. 10. Franc. n. 3. ac Oliva p. 3. For. Eccl. q. 21. n. 15. Sed neque Ordines conferri ibi possunt, ubi quis natus fuit tantum in itinere aut ubi parentes alibi domicilium habentes per breve duntaxat tempus commorati sunt. Colligitur ex *L. Cirves C. de Incolis*, & docent Panor. in *L. Rodolphus de Rescr. n. 9.* Laym. *L. 5. tr. 9. c. 9. n. 10.* Barbof. de *Offic. Episc. alleg. 4. n. 18.* Henriq. *L. 10. c. 22. §. 1.* Oliva *l. c. n. 10.* & sequitur ex dictis n. 118. Neque conferri possunt in loco originis tantum paternæ, sed solum propriæ, ut contra Barbofa *l. c. n. 4.* malè quosdam pro se allegantem docent Joan. Andr. Gemin. Franc. Henriq. *ll. cc.* Graff. *tit. de probat. decis. 15.* Valasc. *alleg. 5. n. 25.* Quaranta in *Bullar. V. Ordo*, Oliva *l. c. n. 25.* patetque ex citatis verbis *de cujus Diocesi is est oriundus*, non pater.

## §. V.

*An in Domicilio Communi acquiratur Forum.*

## SUMMARIUM.

125. Roma olim commune erat domicilium Romano Imperio subditorum.
126. Non item hodie.
127. Nisi quoad causas Ecclesiasticas.
128. Commune domicilium est, ubi est Imperator.
129. Curia est, ubi Pontifex & Imperator, aut ejus Ministri & tribunal.
130. In loco domicilij communis solum convenitur, qui ibi est presens.
131. Nisi cause sint graviores, aut eas ad se advocet Princeps.
132. In certis casibus datur jus revocandi causam à Foro communi ad particulare.
133. Explicatur, quinam hujusmodi casus sint.
134. Quandonam Legati jus habeant causam revocandi domum.

135. *Revocanti statuitur terminus causam introducendi in Foro particulari, nec auditur post litem contestatam.*

125. Roma, dicebat Tullius Cicero 2. *de Lege Agr. contra Rullum, communis patria omnium nostrum, & Modestini. L. 33. ff. ad municip. Roma, inquit, communis nostra patria est.* Idemque repetitur *L. si duas 6. §. 11. ff. de Excus. tut. L. ult. ff. de Interdict. & Relegat.* Hinc subjecti Romano Imperio conveniri Romæ poterant, propter originem & plenitudinem potestatis, licet ibi nec domicilium habuissent, nec contraxissent, nec deliquissent. *L. Nec cum 28. §. 4. ff. Ex quib. caus. major. Bart. in cit. L. 33. Castr. in L. eum qui. §. 1. n. 3. de Constit. pecun. Alex. in L. si legatus. prin. ff. ad Trebell. Jason in L. 6. ff. de legib. n. 6.* eò quòd *in Orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imp. Antonini cives Romani effecti sunt, ut ait JC. L. 17. ff. de statu hom. & Justin. Novell. 78. c. 5.*

126. Verùm hoc non ampliùs obtinet, cùm Roma modò non sit sedes Imperatoris, nec ejusdem jurisdictioni subjecta, sed SS. Pontificis, ut cum Catholicis DD. tenent Matth. Stephani *L. 1. c. 28. de jurisd. n. 21.* aliique Heterodoxi. Nam quidquid sit de donatione urbis Romæ à Constantino facta, quam hodie multi reiiciunt, excepto Palatio Lateranensi, certum est, quòd Pipinus Rex Franciæ, cùm anno 755. in Italiam cum exercitu transgressus omnes Civitates Exarchatùs Romani occupasset, eas donarit S. Petro & Ecclesiæ Romanæ, clavibus per Fulrardum Abbatem S. Dionysij suum Sacellanum aræ Divorum Petri & Pauli impositis unà cum Donationis, quam sanctis hisce Apostolis fecerat, instrumento, suâ & filiorum, ac Optimatum manu subscripto. Eamque postea anno 774. ejus filius Carolus M. victo Desiderio Rege Longobardorum, sanctæ Sedi confirmavit juramento ac instrumento solemni à se & à Proceribus ac Episcopis subscripto, auxitque adjectâ terrâ Sabinorum, Ducatu Spoletano & Beneventano, pluribusque alijs ditionibus. Eandem Pontifici Paschali Ludovicus Pius adjectis alijs possessionibus confirmavit

firmavit anno 817. cujus donationis literas ab ipso & tribus filijs, decem Episcopis, & quindecim Comitibus subscriptas recitat Baronius *ad eundem annum 817. n. 10.* Demum ratam eam habuit Carolus Calvus, addito Ducatu Capuæ, ac pluribus alijs Civitatibus, cedens Pontifici Joanni VIII. anno 876. absolutam & supremam potestatem in terris, quas Patrimonium S. Petri dicimus. Quin jam ante Pipinum Roma multæque aliæ urbes sub dominio sacræ Sedis erant. Thomasin. p. 3. *Vet. & Nova Eccl. Discip. L. 1. c. 29. à n. 6.* Baronius *l. c. & ad ann. 755. n. 27. ann. 774. n. 5.* Morerus in *Diction. Histor. V. Constantin le Grand. §. lorsque l'Empereur, & §. seq.* Afferunt quidem Gloss. 2. in *L. Cives C. de Incolis*, Bart. in *cit. L. Roma & L. Hostes. ff. de Captiv. n. 6.* Imola in *c. fin. de Foro comp. n. 2. & Dec. in c. Meminimus de Appell. n. 5.* etiam hodie Romam dici patriam communem, & omnes Romano Imperio subditos dici Cives Romanos; tum quòd Jus antiquum quoad hoc non inveniatur correctum; tum quòd jurisdictio in SS. Pontifices cum omnibus suis privilegijs translata fuerit: ex quo consequens esse videtur, quod tradit Andr. Sicul. in *cit. c. ult. n. 2.* Romam adhuc commune forum esse etiam quoad laicos. Meritò tamen id alij cum Anton. in *cit. C. fin. n. 23. & Felin. n. 25.* rejiciunt, tenentque, laicos Romæ in temporalibus & profanis causis conveniri non posse, nisi SS. Pontificis temporali jurisditioni sint subjecti, uti sunt, qui in Patrimonio D. Petri degunt.

127. Illud certum est ex *C. fin. de Foro comp.* Romam Ecclesiasticarum personarum communem etiam hodie patriam esse, cumque etiam laici in causis Ecclesiasticis forum Ecclesiæ fortiantur, etiam isti in dictis causis conveniri poterunt, ut observant Petr. Barbosa in *L. 2. §. Legatis ff. de judicijs n. 33.* Covarr. *pract. qq. c. 5. prin. Oliva p. 3. Fori Eccl. q. 25. n. 1.* & hoc teste omnes Interp. in *cit. C. ult.* Cæterùm Roma hîc non est materialiter accipienda & pro determinata urbe, quæ eo nomine appellatur, sed pro illo loco, ubi Pontifex residet, sive Roma is sit,  
sive

five alius: ubicunque enim is refederit, ibi sedes & Curia Pontificia erit. *L. 1. §. sed etsi C. de Vet. jure enucl.* Covarr. *pract. 99. c. 4. n. 10. & seqq.* cum Innoc. Panor. Felin. Butr. Dec. Bald. Curt. Jun. Hinc cum Clem. V. Joan. XXII. Benedict. XII. Clem. VI. & Innocent. VI. per annos amplius 70. residerent in Gallijs (in Captivitate, ut loquuntur Itali, Babylonica, quòd totidem annis filij Israël Babylone captivi fuissent) conveniri ibi in causis Ecclesiasticis poterant fideles, æquè ac Romæ prius conveniri potuere.

128. Ex quo ob paritatem rationis inferunt Bald. *in rubr. C. qui accus. non poss. u. 1. Dec. in C. Meminimus de prob. n. 12.* Imola & Butrio *in cit. C. ult. Barbosa l. c. n. 41.* cum Gloss. communiter recepta *in cit. L. Roma & in L. Nec non §. fin. autem. ff. ex quib. caus. major.* quemvis Romani Imperij subditum posse hodie conveniri ibi, ubi Imperator est: eò quòd commune domicilium est domicilium Imperij, cum omnes, qui sub Imperio domicilium habent, subditi Imperij dicantur, & legibus ac constitutionibus Imperialibus subijciantur. Gaill. *L. 2. obs. 36. n. 3.* Matth. Stephani *l. c. n. 22.* Neque dum Populus Romanus omnem potestatem transtulit in Imperatorem *L. 1. ff. de Constit. Princip.* eam urbi Romanæ prerogativam reservavit, ut ibi suprema Curia maneret.

129. Sed controversum adhuc est, ubinam Curia SS. Pontificis vel Imperatoris esse censeatur. In tres opiniones super hac quaestione abierunt DD. Primò Gloss. *in Extrav. Execrabilis de prob. V. Romana Curia* cum Innoc. Panor. Butr. & Franco tenet, ibi Curiam esse, ubi est Pontifex aut Imperator, tametsi ibi ejusdem Cancellaria & Consiliarij non sint. Secundò alij affirmant, ibi tantum Curiam esse, ubi supremum Principis tribunal ordinarium est, sive ibidem Princeps sit sive non. Ita Covarr. *l. c. Garcias p. 5. de Benef. c. 1. n. 388.* Aug. Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. n. 128.* Tertiò Petr. Barbosa *l. c. 39.* Felin. & Affiè. tradunt, utrobique curiam dici, & conveniri reum posse, ubi



ubi videlicet tribunalia, ut aiunt, & audientia fuerint, & ubi Pontifex vel Imperator fuerit sine tribunalibus ac ministris. Hæc opinio præplacet. Prima ejus pars sumitur ex *Clem. Ne Romani* 2. §. 2. *de Elect.* altera ex *Clementis VIII. constitut. 45.* Ratio est, quia ubi Rex est, ibi Curia Regia esse dicitur. *Afflict. decis. 265.* *Rebuff. in Concord. V. Extra Curiam,* *Butr. in cit. c. ult. de Foro comp. n. 23.* *Tiraq. de Nobilit. c. 30. n. 4.* nec Princeps adstringitur ad jus dicendum in certo aliquo sui territorij loco; dummodò non dicat extra illud. Possè verò etiam ibi conventionem fieri, ubi tribunal & ministri regij sunt, tametsi Rex ibi non sit, dubium non est: cum ideo illi constituti sînt, ut nomine Regis jus dicant.

130. Jam verò, quod dictum hæctenus est, in communi domicilio quemvis conveniri posse, intelligendum duntaxat est, si ibi inveniatur, qui convenitur. Colligitur ex *L. Nemo C. de jurisd. omn. jud. & L. 2. §. 4. § 5. ff. de iudic. & resolvunt Covarr. pract. c. 6. prin. Oliva l. cit. q. 25. n. 3.* ac alij. Ratio patet: quia quia nimium gravarentur subditi, si quantumvis longè absentes ad Curiam Principis promiscuè & passim ac in prima etiam instantia evocari possent: pariterque nimium oneraretur Curia Principis, si conventio indiscriminatim ibi fieri posset. Qua de causa erecta sunt plura tribunalia, diversique Judices dati sunt, ad quos subditi pro consequenda Justitia facillè accedere possent. *L. 1. §. Capta ff. de Orig. Jur. & L. 1. C. de Off. Prat. Prov. Afr. & ex eadem ratione in Republica Eccles. divisæ sunt Provinciae ac Dioceses, quarum jurisdictio turbaretur, magnaque induceretur confusio, si licitum semper foret summum tribunal adire.*

131. Hinc juxta *Trident. sess. 24. c. 20. de Refor.* causæ omnes in prima instantia coram Ordinarijs locorum agitandæ sunt. Neque virtute literarum Apostol. quisquam ultra duas dietas extra suam Diocesim trahi potest. *C. Nonnulli 28. de Rescript. quin nec ultra unam dietam. C. Statutum 11. §. 1. § 2. eod. in 6.* Hæbent tamen tam SS. Pontifex quàm Princeps secularis potestatem

tem avocandi ad se causas & ex justis ac rationabilibus causis compellendi etiam absentes, ut coram ipsis compareant. Neque hæc potestas ab ipsis alienari potest, ut cum Luca de Penna, Guil. Benedicto, ac alijs existimat Covarr. c. 4. pract. n. 1. Quin in causis majoribus, quarum cognitio Sedi Apost. semper reservata fuit, etiam in prima instantia adeundus est SS. Pontifex. C. *Majores. de Baptis. C. 1. de Jurament. calum. C. 1. de Translat. Episc. Trident. l. c. Sc. 5. cit. sess. 24.* Quales sunt, quæ spectant ad intelligendos articulos Fidei, discernendos libros Canonicos, ad declarandum sensum SS. Literarum, eaque, quæ ad materiam, formam, & ministros Sacramentorum pertinent; item illæ, quæ pertinent ad jura, obligationes, & immunitates Ordinis Clericalis, ac criminales causas Episcoporum, quæ privationem aut depositionem merentur, ac illorum electionem, confirmationem, Beneficia Sedi Apost. reservata &c.

132. Sed etiam illi, qui in Curia reperiuntur, conveniri ibi non semper queunt, quando videlicet habent jus revocandi domum, seu petendi, ut causa ad forum ipsorum particulare, v. g. ad locum domicilij, ubi habitant, aut contractus, remittatur, quòd in curia ad respondendum non sint instructi. Differt hoc jus revocandi domum à jure declinandi forum. Ille enim propriè declinat formam, qui non est subjectus jurisdictioni: is verò, qui domum revocat, subjectus quidem est jurisdictioni, ex aliqua tamen legitima causa respondere non tenetur. Socin. in C. *fin. de Foro comp. n. 61.* Jus autem revocandi domum habent non solum Legati, & qui in aulis Principum sunt; sed etiam missi à patria, & qui dicendi testimonij causâ ad Curiam evocantur. L. 2. §. 2. ff. *de iudic. L. sed etsi 28. §. fin. ff. ex quib. caus. major.*

133. Causæ, ex quibus jus revocandi competit, vel necessariae sunt, vel probabiles. cit. C. *ult. de Foro comp.* Prima necessaria est legationis. cit. L. 2. §. 3. Ratio est, ne Legatus ab officio legationis avocetur. L. *non alia L. de eo autem L. quid cum ff. de iudic.* Idque procedit, non solum de Legato missi à Principe, sed

sed quolibet alio, qui à domino vel communitate mittitur ad Principem, & de Prælato in causa suæ Ecclesiæ ad Curiam veniente. Secunda: si quis evocatus sit à Principe, ut alijs respondeat. Si enim in alia causa conveniatur, quàm ob eam, ad quam evocatus est, jus revocandi habet. Gloss. & Joan. Andr. *in cit. C. ult. Gilhausen arb. judic. c. 1. p. 2. §. 5. n. 4.* Tertia: si evocatus est testimonij ferendi causâ, *cit. L. 2. §. 3.* Quarta: si vocatur causâ judicandi. *cit. L. 2. §. 2.* quia in his casibus parere evocanti tenetur. Sunt præter has causas necessarias aliæ justæ & probabiles, quas dicunt *quasi necessarias.* Qualis est causa appellationis: nam *ei quoque, qui ipse provocavit, non imponitur necessitas intra tempora provocationis exercenda, Romæ vel alio loco, ubi provocatio exercetur, alijs pulsantibus respondere,* ut ait JC. *cit. L. 2. §. 3.* ubi similis causa additur, eum videlicet, qui tutelæ reddendæ causâ Romam erat evocatus, alterius tutelæ causâ, cujus causâ non erat evocatus, non debere compelli iudicium suscipere. Quod Innocent *in cit. C. ult.* ad quamcunque causam rationis ob administrationem reddendæ extendit per *L. 1. §. 2. C. ubi de Crim. agi oport.* Addunt Gloss. *in cit. L. 2. §. 3. V. causâ venerat,* Butr. Panor. & Felin. *in cit. C. ult.* & hoc teste communis DD. sufficere ad petendam revocationem quamcunque aliam causam justam & probabilem, ex qua aliquis ad Curiam venerit, ut si quis voti implendi causâ Romam eat aut peregrinationis; aut, uti *cit. Glossa ait,* si quis ad locum Curia accedat causâ visendi sui filij ibidem Studijs vacantem. Ut adeò juxta *citt. DD.* soli illi jus revocandi domum non habeant, qui Romam, vel Viennam veniunt ex causa omninò voluntaria. Gilhausen *l. c. n. 5.* Requiritur tanten *cit. C. ult. de Foro comp.* causa necessaria, ut adeò juxta SS. Canones quæcunque alia probabilis & justa non sufficiat. Peregrin. *de Fideicommiss. art. 53. n. 7.* Petr. Barbosa *in cit. L. 2. §. 3. n. 326.*

134. Quamquam autem Legati in Curia Principis vel ejus Provincia conveniri nequeant ratione contractûs vel delicti, etiam  
 O 2 ibidem,

ibidem, at ante legationem, initi aut commissi, ut cum communi tradunt Covarr. *c. 5. pract. n. 2. §. Et tamen*, & Barbosa *l. c. n. 104.* alij tamen jus revocandi domum non habent, sed conveniri possunt ratione contractus ibidem quocunque tempore celebrati, vel delicti commissi; nisi interim actioni præscripserint *cit. L. 2. §. 4. & DD. ibi, Panor. & Felin. l. c. Covarr. l. c. §. sedet.* Barbosa *l. c. n. 111.* Quin ij, qui Legati non sunt, jus revocandi non habent, si conveniantur in curia de contractibus aut delictis non in sua provincia ac loco domicilij, sed alibi commissis: ut adeò jus illud revocandi solum habeant, si in sua civitate aut intra suam provinciam contraxerunt, ut textum *cit. l. 2. §. 5.* explicat Glossa communiter recepta, & Glossa *in cit. c. ult. V. Compello.* Sed neque Legati, multoque minùs alij, jus revocandi domum habent, quando tempore actio esset peritura ob eorum absentiam à domicilio vel provincia: cogj enim tunc possunt ad litem contestandam, ne adversario sua actio pereat. *L. 28. §. 4. ff. de Judic. & ibi Glossa ac DD.* At ubi primum lis fuerit contestata, causam remittendam esse ad Judicem competentem domicilij, tradunt Bart. & Angel *in cit. §. 4.* Barbosa *l. c. n. 213.* Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 12. n. 16.* Si tamen actio foret talis, quæ per litis contestationem non perpetuatur, uti est actio de Dolo *L. fin. C. de Dolo.* non sufficeret litis contestatio, sed causa in curia terminanda foret. Bart. *l. c. n. 210.* Oliva *l. c. n. 17.* Quod semper procedit, quotiescunque periculum in mora est. *cit. L. 28. §. 1. Angel ibi.* Barbosa *l. c. n. 212.*

135. Duo hic ex plurimis, quæ de hoc jure revocandi domum tradunt Barbosa & Olivall. *cc. Donell. L. 17. Coment. c. 14.* Em. Gonzal. *in C. ult. de Foro comp.* addi expedit. Primum est, quòd Judex, coram quo excipitur ex privilegio revocandi, potest ac debet, saltem parte petente, statuere terminum excipienti, intra quem compareat coram Judice domicilij, eumque cogere ad cavendum de iudicio fisti, juxta *cit. L. 2. §. 6 & ibi Glossa, Bart. ac DD. Panor. l. c. n. 49.* Quod universum de omni Judice etiam incom-

incompetente, qui remittit partes ad instantiam excipientis, tradit post Bart. Alex. Castr. Dec. Felin. ac alios Barbosa *l. c. n. 365.* Non tamen opus est cautione poenali, vel juratoriâ, aut fidejussoriâ; sed sufficit promissio simplex. *cit. L. 2. §. 6.* Alterum est, cum privilegium revocandi domum sit exceptio instar declinatoriæ fori, opponendam esse ante litis contestationem. Marian. *l. c. n. 6.* Felin. *l. c. col. ult. & in C. cum ordinem de Rescript. n. 15.* Em. Gonzal. *l. c.* Hæc porrò inutiliter disputata forent quoad Curiam Romanam, si verum esset, quod Felin. *cit. col. ult. v. ult.* tradit, juxta praxin illius Curix non permitti revocationem. Quæ tamen praxis quia dura est, nec à recentioribus DD. refertur, idcirco vel nunquam extitit vel sublata rursus fuit.

## CAPUT II.

### De Foro Delicti.

#### §. I.

#### *An per Delictum Forum acquiritur.*

#### SUMMARIUM.

136. *Delinquens forum sortitur in loco delicti.*
  137. *Etiam privilegiatus.*
  138. *Tametsi habeat privilegium personale.*
  139. *Nisi sit Regularis, aut aliud privilegium in Corpore iuris clausum habeat.*
  140. *Mandans puniri potest, ubi delictum mandatum est patratum.*
  141. *Forum Pœnitentiale non acquiritur in loco delicti.*
136. Forum Domicilij universale esse, & cum alijs foris (excepto foro Feudi & rei sitæ, de quo infra *n. 216.*) concurrere, dixi *n. 103.* Unde subditus in loco sui domicilij propter crimen

ubicunque patratum puniri potest. *L. 1. C. ubi de crim. agi oport.* & *ibi* Gloss. Bart. ac communis omnium, teste Covarr. *c. 11. pract. n. 6. §. his equidem*, & Claro *L. 5. sent. §. fin. q. 38. n. 3.* Habent tamen delinquentes aliud insuper Forum, ubi conveniri & plecti possunt; illud nimirum territorium, quod suo crimine violârunt: neque enim excipere possunt, se esse advenas, nec hujus territorij subditos. *cit. L. 1. §. auth. qua in provinc. C. ubi de crim. L. solent 7. ff. de Custod. §. exhib. reor. L. 1. C. ubi senat. §. clariss. L. 9. 10. §. ult. C. ubi caus. fisc. L. 3. ff. de Offic. praesid. L. 7. §. fin. ff. de accusat. L. 3. ff. de re milit. C. fin. de Foro comp. C. 1. de Raptor. C. 1. de privil. in 6.* Delictum namque jurisdictionem tribuit ei, qui aliàs Judex rei competens non est. *cit. C. fin. & L. 1. C. ubi de crim. L. 3. ff. de Offic. praes. adeò ut Judex loci delicti in delinquentem constitutum in suo territorio ad omnes juris effectus jurisdictionem habeat, non solum quoad ipsam delinquentis personam, sed etiam quoad bona ejusdem alibi existentia, ita ut privari iisdem per sententiam possit; executio tamen fieri ab ipso nequeat, sed à Judice domicilij & bonorum facienda sit. C. 14. de Foro comp. & L. 15. §. 1. ff. de re jud. Nec refert, unde delinquens sit oriundus. cit. L. 3. L. Non dubio 7. ff. de Capt. §. postlim. Novell. 8. c. 12.* Pariter non refert, cujus Dignitatis aut Ordinis sit, qui delinquit. *L. Raptores 24. C. de Episc. §. Cler. L. quaedam 14. ff. de poen. & L. qui cum 4. §. 7. ff. de re milit.* ita ut etiam Clarissimi in provincia, in qua deliquerunt, accusari possint. *cit. L. 1. C. ubi senat. & Comites quoque & Nobiles immediatè Imperio subjecti, si in alicujus Civitatis Imperialis vel alterius Statûs territorio delinquant, à Magistratu illius loci criminalem jurisdictionem habente, capi, judicari, & puniri valeant, juxta Bart. Bald. & DD. ad L. 3. ff. de Offic. praesid. Vult. ad cit. L. 1. C. ubi senat. n. 48. Colleg. Argentor. L. 48. tit. 2. n. 12. Befold. Colleg. polit. class. 1. disp. 11. concl. 28. Knipschildt L. 2. de Jure Imper. Civit. c. 5. à n. 90. ubi à n. 102. ad opposita respondet: dubitante Ummio disp. 4. ad process. jud. th. 2. n. 9. nec facile*

se huius opinionioni subscripturum aiente. Quin hoc procedere de personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, adeo ut etiam Episcopus, si in aliena Dioecesi delinquat, puniri ibidem à loci Episcopo possit, affirmat Gloss. in *Can. 1. 4. q. 6.* ac idem de Archiepiscopo in Dioecesi sui Suffraganei delinquente dicendum existimant Panor. in *C. ult. de Foro comp.* ac alij, refragante Anania, Butrio, ac Innocentio. Ubi tamen advertendum est, Archiepiscopos & Episcopos, similesque Superiores Ecclesiasticos in criminalibus, saltem gravioribus, solum subiacere iudicio SS. Pontificis. Trident. *sess. 13. c. 8. de Refor.*

137. Possunt igitur, excepto casu modò allato, in loco delicti puniri etiam privilegiati & exempti. *C. 1. de privil. in 6. & DD. ibi cum Panor. in C. fin. de Foro comp. n. 11. Covar. c. 11. pract. n. 5. Matth. Stephani L. 1. de iurisd. c. 30. n. 26. Auth. quâ in provinc. C. ubi de crim. Novell. 69. c. 1.* Idque certum est & ab omnibus tenetur, si quis privilegio tantùm locali munitus sit: nam si delinquat extra locum exemptum, puniri poterit, ubi deliquit. Si verò privilegium personale habeat, vi cuius coram certo tantùm Iudice respondere cogatur, juxta Butr. in *cit. C. ult. n. 7. Panor. in C. tuarum de privil. & Covarr. l. c. non poterit ratione delicti conveniri coram Iudice territorij, ubi deliquit, sed coram suo duntaxat Iudice.* Verùm rectiùs tenent Innoc. in *C. Ex ore de privil. Panor. in cit. C. ult. n. 11. Felin. ibid. n. 5. & Gemin. n. 3. idemque Gemin. Dominic. & Franc. in cit. C. 1. Gloss. Bart. & Bald. in cit. auth. quâ in provinc.* etiam personali privilegio gaudentem posse conveniri in loco delicti, contractùs, & rei sitæ: quia Pontifex *cit. c. 1.* indistinctè sic loquitur: *desinimus, quòd quantumcunque sic exempti (privilegio exemptionis à Sede Apost. concessio) gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possunt coram locorum Ordinarijs conveniri &c.* Ex quo patet, quòd privilegium exemptionis quantumcunque latum non includit casum delicti, contractùs, & rei sitæ, nisi etiam isti specialiter exprimantur.

138. Ne-

138. Neque verum est, quod ait Covarr. *l. c.* privilegium hac ratione fore frustratorium: nam etsi privilegium non habeat effectum quoad extraneos Judices, in quorum territorio ille delinquit, contractum init, aut rem fitam habet, operatur tamen, ut coram Judice sui domicilij respondere non cogatur, ut observat Oliva *cit. q. 22. n. 8.* Pariter non obest, quod *cit. C. 1. §. in eos* dicitur, privilegium simpliciter concessum, ut quis excommunicari non possit, extendi ad delictum in quacunque Dioecesi commissum: aliud enim est, non posse excommunicari; aliud non posse alijs poenis subijci. Igitur tametsi etiam in alijs Dioecibus excommunicari nequeat, alijs tamen delicto commensuratis poenis, in loco delicti subijci poterit, ut notant Gloss. *in cit. §. in eos V. quantum*, Gemin. *n. 9.* Franc. *n. 3.*

139. Habent tamen Regulares Ordines privilegia exemptionis cum clausula derogatoria. *cit. C. 1. de privil. in 6.* Dominic. *ibi n. 3.* Oliva *l. c. n. 11.* Exceptis quibusdam casibus, in quibus contra ipsos procedere possunt locorum Ordinarij tanquam Sedis Apost. delegati. Casus illos post Emman. Rodriq. ac alios recenset Alviset *de Privileg. Ord. Reg. sect. 4. dub. 21.* eorumque ferè præcipuus est, de quo Trident. *sess. 6. c. 3. de Refor. & sess. 7. c. 14. de Refor.* Eos infra adducam *n. 309.* Universim si qui habeant privilegium in corpore Juris clausum, vi cuius respondere non teneantur nisi coram certo Judice, non possunt conveniri coram alio Judice, etiam ratione delicti, contractus, vel rei fitæ. Bart. Bald. Panor. Felin. *ll. cc.* ac communis Legist. & Canonistarum; exceptis forsan militibus & clarissimis viris, de quibus *cit. L. 1. C. ubi senator. & L. 3. pr. ff. de re milit.* Neque obstat *cit. C. ult. & L. 1. ac auth. qua in provinc. C. ubi de crim. agi oport.* nam licet ibidem dicatur, conveniri quemvis posse in loco delicti *omni privilegio cessante*, per similes tamen clausulas derogatorias non derogatur privilegij in corpore Juris clausis, ut notant iidem DD. Ex quo deducit Umm. *l. c.* Principes, Comites &c. propter delictum perpetratum alibi forum non consequi, quam coram Austregis, aut certe



certè coram Imperatore. Quid de Studiofis tenendum sit, infra dicitur n. 342.

140. Quod modò dictum est de committentibus delictum, dicendum pariter est de mandantibus: puniri enim ibi possunt, ubi mandatum executioni datum est. Panor. l. c. n. 27. Marian. in C. possulisti de Foro comp. n. 5. Bart. in L. sicut proponitur ff. de fidejuss. Clar. L. 5. sent. §. fin. q. 38. n. 6. ac communis omnium. Idem dicendum est de eo, qui hic tractavit de delicto & alibi perpetravit aut perpetrari fecit. Idem de eo, qui hic ratum habuit delictum alibi suo nomine patrandum: puniri enim possunt in loco perpetrati delicti. Videantur ea, quæ habentur infra à n. 160.

141. Regula hucusque tradita de reis in loco delicti puniendis exceptionem patitur quoad Forum Pœnitentiale. Hoc enim forum delinquens non sortitur ibi, ubi deliquit, nec ibi à peccato absolvi potest, sed solum à Parocho sui domiciliij, vel ab ijs Regularibus privilegiatis, qui undecunque ad se accedentes absolvere queunt. Gloss. in Can. 1. 16. q. 1. Panor. in C. 1. de Raptor. n. 4. & ibid. Butr. n. 10. Anan. n. 13. Covarr. c. 11. pract. n. 4. Navarr. in C. placuit. dist. 6. de Pœnit. n. 83. Clar. l. c. q. 38. n. 5. & communis aliorum contra Palud. & Host. Ratio est: quia ideo leges voluerunt, ut ratione delicti acquireretur forum, & reus, ubi deliquit, puniri posset, licet ibi domicilium non habeat, ut Reipublicæ offensæ & violato territorio satisfiat. Quæ ratio cessat in foro pœnitentiæ, cum in hoc non Reipublicæ, sed Deo offenso satisfiat. Potest tamen delinquens ibi excommunicari, ubi delictum commisit. C. 1. de Raptor. Inter crimina excipitur Crimen Læsæ Majestatis; postquam enim lege Regia omne imperium totaque populi Romani potestas in unum translata fuit & in Imperatores Augustos transijt, solus Princeps, vel is, cui hic in specie id demandasset, cognoscere & judicare coepit. tit. 56. L. 2. feud. Boër. tr. de sedit. præsup. 6. n. 20. Gigas de Crim. Læs. Majest. L. 1. tit. quis de crim. n. 1. Decian. tr. crim. L. 7. c. 38. n. 5. Inter personas excipiuntur. 1. Illustres, seu illustrem dignita-

P

tem

tem obtinentes : nam ex præcedente administratione in causis criminalibus arduis, in quibus non admittitur procurator, accusantur coram Principe, vel eo, cui Princeps commisit, nec coguntur in loco commissi delicti se defendere. *L. fin. C. ubi senator.* 2. Excipiunt aliqui Clericos, sed male: nam possunt puniri ab Episcopo loci, ubi deliquerunt; laico Judici nec in loco domicilij vel originis subjecti sunt. 3. Excipiunt Legatum in legatione peccantem: hunc enim retinere fori privilegium asserunt *Gloss. in auth. qua in provinc. C. ubi de crim. ac alij.* 4. Milites juxta *L. Magisteria 6. C. de Jurisd. om. Judic.* Verùm hæc lex solum loquitur de causis civilibus & desertione aliisque delictis merè militaribus, de quibus solum coram Magistro militiae conveniri queunt: nam super reliquis conveniri posse in loco delicti constat ex *L. 3. §. 1. ff. de re milit.* 5. denique excipiunt Studiosos. Sed de his infra agetur à n. 329.

## §. II.

*An contra delinquentem procedi in loco delicti possit, si ibi non reperiatur.*

## SUMMARIUM.

142. *Adversus delinquentem etiam absentem procedi in loco delicti potest, si ante abitum fuit citatus: non tamen ante litem contestatam recipi testes, nisi in quibusdam casibus.*  
 143. *Si abijt ante factam citationem, & constat, ubi sit, requirendus est Judex loci, ubi est.*  
 144. *Secus publico edicto citatur. Aliud tamen in praxi observatur.*

142. Si delinquens citatus legitimè fuit, dum adhuc præsens in loco delicti esset, dubium non est, procedi postea adversus absentem tanquam citatione præventum posse. *text. in L. §. auth. qua in provinc. C. ubi de crim. agi oport. & DD. ibi, Butr. Panor.*

nor. Felin. in *C. ult. de Foro comp.* Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 38.*  
 Non tamen, si lis contestata non fuit, recipi testes, aut sententia  
 definitiva ferri potest. *C. 2. §. tot. tit. Ut lite non contest.* *L. 1. ff.*  
*de requir. vel absent. damn. pr. & L. 1. C. de requir. reis.* Et  
 licet, si periculum sit in mora ex parte testium, ut si sint senes aut  
 valetudinarij, ituri ad bellum, facturi longam aut periculosam  
 navigationem, diuque abfuturi, vel facile oblituri eorum, quæ  
 pro testimonio modo dicere possent, recipi ijdem possint ante  
 litem contestatam & in absentia rei, ut depositiones asserventur,  
 donec reus conveniri possit. *C. ult. eod.* Farin. in *praxi crim. q.*  
*76. à n. 82.* cum communi: hoc tamen solum procedit, si civili-  
 ter agatur; nam si agitur de crimine criminaliter, testes reo ab-  
 sente & ante litem contestatam recipi neutiquam possunt, ta-  
 meti eorum mors vel diuturna absentia timeatur. Communis  
 DD. in *L. absente. C. de accusat.* Gail. *L. 1. obs. 92. n. 13.* Igitur  
 in tali casu bona ejus annotanda sunt, & si intra annum post an-  
 notationem non comparuerit, & de stando juri se non obtule-  
 rit, bona annotata ad fiscum pertinent. *cit. L. 1. C. de requir. reis.*  
 In Germanico tamen Imperio bona quidem annotantur, sed non  
 eo fine, ut confiscentur, sed ne quid ex illis ad fugitivum trans-  
 feratur. *Constit. crim. Car. V. art. 206.* nec bona fisco amplius  
 acquiruntur, nisi in crimine Læsæ Majestatis. *Auth. Bona dam-  
 natorum. C. de Bonis proscriptor.* Imò teste Claro *cit. §. fin. q.*  
*44. V. sed hodie,* & Bossio *tit. de Citat. n. 6.* annotatio ista in de-  
 suetudinem abiit, & in ejus locum poena banni est subrogata.  
 Possè enim banno subjici contumacem notum est ex allegatis à  
 Gaillio *L. 2. de Pace publ. c. 5. §. seqq.* Procedi item potest con-  
 tra eum per inhibitionem factam colonis, debitoribus &c. ne de-  
 bita tali suo domino solvant, sed apud se se retineant, vel in ar-  
 restum ad Judicem deferant. Qui modus procedendi contra con-  
 tumaces est valde usitatus teste Hiltropio *p. 2. tit. 7. n. 51.* In fo-  
 ro Canonico contra Clericos contumaces procedi potest per su-  
 spensionem ab Officio & Beneficio, *C. 8. de Dolo & Contum.* Con-

tra laicos per excommunicationem. *cit. C. 8. C. 2. § 3. Ut lite non contest.* Quòd si Judex ex Officio & per viam Inquisitionis procedat, & citatus reus neget delictum, opus non est litis contestatione, sed statim ad receptionem testium procedi potest, tum quòd per ipsam negationem lis quasi contestata censetur, tum quòd in tali casu nemo est, cum quo litis contestatio fiat. Quin procedi etiam ad sententiam definitivam potest. *C. Veritatis 8. de Dolo & contum.* Glossa, Host. Butr. Panor. *ibi*, & in *C. ult. Ut lite non contest. §. sunt & alii.* Quòd procedit etiam tunc, quando reus se contumaciter absentat. *C. qualiter 4. de Accusat.* Quòd tamen limitant Baldus in *L. absentem C. de Accus.* n. 9. Salicet *ibid.* n. 14. Clar. *L. 5. sentent. §. fin. q. 44. n. 2.* ac alij, asserentes, id non procedere in criminibus, quæ poenâ corporali aut morte civili puniuntur.

143. Dubium superest, quomodo procedendum sit, si delinquens ante citationem abiit ex territorio, ubi deliquit. Citari realiter seu capi in alieno territorio non posse, liquet ex dictis n. 54. Sed neque verbaliter citari posse, constat à fortiori ex dictis n. 55. & *L. ult. ff. de Jurisd. C. ult. de Constit. in 6. Clem. Pastoralis 2. §. desperet de Sentent. & re iud.* Necessè igitur est, ut Judex delicti literas requisitorias det ad Judicem territorij, ad quòd delinquens abiit, huncque per illum citari curet citatione, aut reali *cit. L. 1. ff. de requir. vel absent. damn. §. 2. cit. Clem. Pastoralis, Novell. 134. c. 5.* aut verbali, si fugæ periculum non sit, ei videlicet præcipiendo, ut veniat ad se defendendum in termino ijsdem literis præfixo. Cardin. Anchar. ac alij in *cit. Clem. Pastoralis.*

144. Si verò non constat, quò profugerit delinquens, factâ summariâ informatione de delicto, poterit per edictum publicum citari. *cit. L. 1. ff. de requir. §. 2. ibi edictis adesse jubeat, & cit. Novell. 134. c. 5. ibi: si verò quis comprehensorum criminum latuerit, aut reliquerit provinciam illam, in qua crimina deliquit, jubemus legitimis edictis à Judice evocari eum, & si non obediat,*

illud

illa in eum procedere, quæ nostris legibus definita. De qua citatione edictali fusè Boss. tit. de Foro comp. n. 46. & tit. de Citation. n. 20. Socin. in C. Postulasti de Foro comp. à n. 4. Gail. L. 1. obs. 56 & 57. Hæc de Jure scripto procedunt. De consuetudine contrarium observari testatur Carpz. p. 3. pract. crim. c. 110. n. 47. & in loco delicti commissi causam criminalem adversus reum etiam absentem agitari, etiamsi citatio præsentis non sit insinuata, cum Judex delicti per subsidium hujus jurisdictionis ex delicto quæsita absentem, ubi deprehenditur, vel si latitat, edicto publico in tribus diversis trium dominorum territorijs affixo, citare, & adversus non comparentem ad bannum procedere soleat.

## §. III.

*Utrum reus ad locum delicti remittendus sit.*

## SUMMARIUM.

145. De Jure Communi remittendus est reus ad locum delicti.  
 146. Non item de Consuetudine: nisi pacta inter Dominos territoriales aliud exigant.  
 147. Mittere Reum tenetur Judex loci delicti ad Superiorem, si non habet potestatem infligendi pœnam commensuratam delicto.  
 148. De Jure scripto Judex, qui nullam in Reum jurisdictionem vel ratione domicilii vel delicti continuati habet, non potest Reum remittere ad locum delicti.  
 149. Potest tamen de consuetudine. Imò vi hujus proceditur per viam Inquisitionis adversus facinorosos eo loco, ubi reperiuntur. Cui Consuetudini sarvent etiam leges.  
 150. Dummodo in loco, ubi Reus reperitur, crimen sit notorium aut facile probari possit.  
 151. Ut remissio fieri possit, Judex remittens indicia de crimine ab hac persona commisso habere debet.  
 152. Remissio locum non habet in criminibus levioribus, & gravibus, de quibus agitur solum civiliter.

153. *Facienda est expensis Judicis eam petentis, si nec Reus nec Accusator est solvendo.*
154. *Reus captus & remissus à non habentibus potestatem in primum statum restituendus est.*
155. *Declaratur, quomodo procedendum sit, si Reus commisit plura in diversis territoriis delicta, & ab uno Judice detinetur.*
156. *Judex domicilii contra Reum procedere potest, si Judex delicti, ad quem fuit remissus, sit negligens in puniendo.*

145. Remitti delinquentem debere ad locum delicti, si Judex requirat, communis est DD. sententia, ut testatur Marian. in C. postulasti de Foro comp. n. 15. Felin. in C. ult. eod. n. 9. Covarr. c. 11. pract. n. 6. Clar. L. 5. sent. §. fin. q. 38. n. 19. Patet ex auth. qua in provincia V. insuper & is. C. ubi de crim. agi oport. Novell. 60. c. 1. & Novell. 134. c. 5. L. 3. ff. de re milit. L. 28. §. 15. ff. de pœn. L. 7. §. 4. & L. fin. ff. de accusat. C. 1. de Raptor. quibus à Carpz. in pract. crim. p. 3. q. 110. n. 49. male additur C. ult. de For. comp. & Can. 19. 2. q. 1. Ratio statuendi hanc remissionem erat, tum quòd certiores probationes in loco delicti habentur Novell. 69. c. 1. §. 1. tum quòd nihil durius est, ut *ibid.* dicit Imperator, quàm læsum circa sublationem bovis aut equi cogi non in qua aufertur provincia litigare, sed aliò currere, ubi videlicet fur domicilium habet: tum denique, quòd melius satisfacit territorio læso, aliisque ab eo lædendo magis absterrentur, si ibi plectatur reus.

146. Verùm hæc remittendi necessitas consuetudine sublata est, uti post Cyn. Bart. Bald. Panor. ac alios testantur Clarus l. c. n. 20. Farin. prax. crim. L. 1. tit. 1. q. 7. n. 28. Rumel. ad aur. Bull. 2. dissert. 1. concl. 10. Gaill. L. 1. de pac. publ. c. 16. n. 30. Matth. Stephani L. 1. de Jurisd. c. 30. n. 13. Thom. Michaël de Jurisd. concl. 91. lit. B. Carpz. l. c. n. 53. Hinc necesse non est varias, quæ circa obligationem remittendi à DD. agitantur, quaestiones hîc proponi. Remitti tamen delinquentes ferè solent ex urbanitate & remissione precaria sub antigrapho seu literis reverfalibus auff einen revers und Gegenbekandtniß / quòd remissio non debeat

debeat præjudicare remittenti, & quòd Judex loci delicti in casu simili, si requiratur, idem sit facturus. Gaill. *l. c. n. 31.* Mattht Steph. *l. c. n. 17.* Besold. *V. Uefferung der Maleficanten*, Knipschildt *L. 2. de Jure Civit. Imper. c. 5. n. 46.* Idem quandoque fit ex pacto inter vicinorum territoriorum Judices inuito. Illud hîc notandum est, dum ajunt DD. de consuetudine non dari obligationem remittendi, eos solùm ferè loqui de Judicibus, qui non sunt sub eodem Principe. Unde Clarus *l. c. n. 21.* ait, remissionem etiam hodie faciendam esse, si uterque Judex, videlicet tam is, qui postulat, quàm qui postulatur remissionem, sit sub eodem Principe. Bart. tamen aliique, quos allegat Covarr. *cit. c. 11. n. 10.* asserunt, remissionem non fieri etiam in locis, quæ Imperatori subsunt, id est, inter eos, qui sub eodem sunt Principe.

147. Etsi verò, ut modò dictum est, remittendi necessitas consuetudine abrogata sit, excipiendus tamen est casus, quo Judex, qui aliàs vel de jure vel de consuetudine delinquentem puniendi jus haberet, est inferioris potestatis, ac cognoscit, delictum mereri poenam, quam ipse non possit infligere: remittere enim tunc reum debet ad Superiorem, etiam non requisitus, uti patet cum ex *L. 1. § 7. C. de Defens. civit.* tum ex eo, quia aliàs crimina manerent impunita.

148. Circa illos quoque casus, quibus non datur obligatio remittendi, adhuc controversum est, an à quovis Judice remissio fieri possit; item quomodo facienda sit. Itaque dubitatur I. An tantùm ille Judex possit remittere, cui delinquens, qui ex loco delicti abiit, est subjectus ratione domicilij, aut delicti continuati, v. g. quando fur cum re furtiva huc venit, aut raptor cum foemina rapta: an verò Judex quicumque, cui delinquens subjectus non est. Hoc posterius affirmant Panorm. *in C. ult. de Foro comp. n. 6.* Covarr. *l. c. n. 6.* Clar. *cit. q. 38. n. 22.* Perez *ad tit. C. de exhib. reis. Fachin. L. 9. contr. c. 22.* ubi tamen requirit, ut Judices sint sub eodem Principe. Illud prius tenent Butr. & Felin. *in cit. C. ult. Bossius in pract. crim. tit. de For. comp. à n. 25.* ubi testatur

testatur de communi, & consuetudine firmatam asserit Farin. *l. c. n. 28.* Decian. *tr. crim. L. 4. c. 19. n. 2.* ac alij. Hæc opinio Juri conformior videtur: nam *C. 1. de privil. in 6.* dicitur, exemptum, qui alioqui de jure remittendus esset ad Judicem, qui delinquentem remitti petit, non posse remitti à Judice ordinario, qui ratione exemptionis nullam in ipsum jurisdictionem habet. Quæ ratio est generalis, & procedit de omni eo, in quem jurisdictionem non habet Judex, qui remissionem postulat. Accedit, quòd qui vult remittere, debet detinere personam delinquentis & remittere actu ipso, vel citare & jubere, ut compareat coram Judice remissionem petente. Sed isti actus sunt jurisdictionales, qui exerceri nequeunt, nisi in subditos. Nec valet, quod dicit Perez, Judicem delicti videri alteri dare jurisdictionem ad custodiendum & remittendum reum: non enim apparet, quòd possit dare jurisdictionem pro territorio, pro quo ipsemet non habet.

149. Verùm quidquid sit de Jure scripto, consuetudo favet priori opinioni, ut testatur Clar. *l. c.* & passim à quovis Judice remittuntur. Imò hodie ex officio per modum Inquisitionis adversus facinorosos proceditur eo loco, ubi reperiuntur, teste Carpz. *l. c. n. 71.* Harprecht. *ad §. 5. Inst. de oblig. quæ ex delict. n. 85.* & Berlich. *p. 5. concl. 45. n. 46.* Umm. *cit. disp. 4. th. 2. n. 11.* post Paul. Castr. *in L. 10. §. tamdiu ff. de condict. furt. n. 13.* Cui praxi favet textus *L. 1. C. ubi de crim. Questiones* (inquunt Impp.) *eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coercentur, ubi commissa vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est.* Sunt quidem non pauci, qui cum Accurs. & Bart. per locum, *ubi reperiuntur*, intelligunt duntaxat locum domicilij: alij cum Barbosa *in L. 19. §. proinde de Judic. rubr. de foro delicti n. 11.* legem solum intelligunt de Vagabundis; hi enim cum ubique forum sortiantur, ibi, ubi reperiuntur, puniri possunt. Verùm hoc bene refellunt Donell. *L. 17. c. 16. lit. f.* aliique, quos ibid. allegat Hillig. & Berlich. *l. c.* cum textus sit universalis, nec distinguat inter per-



sonas delinquentes, neque mentionem domicilij faciat. Favet insuper text. *L. 3. ff. de offic. praesid.* ibi: *nec distinguitur, unde sint.* Quin fatetur ipse Decianus *l. c. n. 1.* cum alijs, quos allegat, si non petatur remissio, posse reum ibi, ubi reperitur & capitur, puniri. Si puniri potest, à fortiori poterit remitti. Idémque *n. 4.* cum Bart. admittit, remissionem faciendam esse etiam à Judice nullam in reum jurisdictionem habente, si tam ipse, quam Judex delicti, qui remissionem petit, sint sub eodem Principe, cum uterque curare debeat, ut Principis sui territorium facinorosis hominibus p̄t̄getur. Illud absque controversia verum est, quod idem Decianus addit, inferiores Judices Principi, cui subjecti sunt, jus citandi habenti & remissionem petenti, hanc facere debere, esto nullam ipsi ordinariam in reum jurisdictionem habeant.

150. Ex eo porrò, quòd remissio fieri non solet, ac, ut cum multis sentit Barbosa *l. c. n. 7.* & Oliva *p. 3. For. Eccl. q. 20. n. 19.* nec fieri potest, nisi petatur, confirmatur praxis reum puniendi ibi, ubi repertus fuerit: alias enim crimina cum magno Republicae & privatorum damno manerent impunita, & sceleratis ansa daretur liberè in bona ac vitam innocentum grassandi, & sic dicendum foret, quod absolute & audacter asserit Fachin. *L. 9. c. 23.* consuetudinem non remittendi esse irrationabilem & nullius momenti. Benè tamen observat Brunnem. *in cit. L. 1. n. 20.* tunc solùm in loco, ubi reperitur, puniendum esse facinorosum, si crimen sit notorium aut facile probari possit; secus remittendum esse ad locum delicti. Cæterum hanc facultatem procedendi contra reum, ubi repertus fuerit, multi cum Deciano *cit. L. 4. c. 16. n. 2.* solùm tunc concedunt, quando accusator adest; negantque ex officio & per inquisitionem procedi posse. Imò idem de Judice domicilij, non posse videlicet ab ipso per viam inquisitionis procedi contra subditum ob delictum alibi perpetratum, asserunt cum compluribus Roland. *L. 2. consil. 19. n. 20.* Menoch. *L. 1. consil. 2. n. 130.* Barbosa *ad L. haeres §. proinde rubr. de foro delict. n. 27.* qui tamen *n. 118.* fatetur, quòd ex generali

Q

nerali

nerali consuetudine Judex possit procedere per inquisitionem, eò quòd consuetudo remedium inquisitionis fecerit tam generale ac ordinarium, quàm est remedium accusationis, ut Clarus ait *l. c. q. 3. n. 6.* Videantur, quæ dixi suprà *n. 107.*

151. Dubitatur II. An Judex requisitus debeat aliquam causæ cognitionem prius facere, antequam remittat. Affirmant Card. Panor. Marian. ac alij apud Decian. *l. c. n. 15.* & Covarr. *cit. c. 11. n. 8.* Negant Gomez. *c. 1. de delict. n. 87.* citans Bart. Albert. & Angel. Covarr. *l. c.* ubi priori opinioni praxin adversari ait, & Clar. *l. c. n. 19.* ubi hanc dicit communiter receptam. Distinguendum esse videtur cum Deciano: nam facienda non est cognitio, si requisito Judici constat ex fama de delicto per hunc, qui petitur, reum commissio; aut si scit, illum contumacem fuisse coram Judice remissionem petente, quia talis contumacia facit præsumptionem delicti contra reum, ut notat Bart. *in cit. L. 1.* aut denique, si Judex requirens testetur, se informationem de crimine & de reo jam habere. Si nullam hujusmodi notitiam Judex requisitus habeat, cognoscere prius de causa debet, ne fortè innocens in vinculis remissus ex hoc infamiam injustè patiat. Necessè tamen non est, ut aliquem processum & inquisitionem instituat, si absque ea habeat probabilem notitiam tum delicti à tali persona commissi, tum commissi in territorio requirentis. Et quamvis hujus assertioni non teneatur credere, nisi Superior ipse sit, ac propterea informationem de crimine & delinquente facere prius possit, ut notat Decian. *l. c.* non tamen videtur ad hoc teneri, sed niti posse fide Judicis, qui requirit, asseritque, se de crimine & criminoso informationem pro captura sufficientem habere: nisi contra asserentem fortè staret præsumptio.

152. Dubitatur III. An in omnibus criminibus locum habeat remissio. Negat communis DD. apud Panor. *l. c. n. 15.* Covarr. *l. c. n. 7.* Clar. *l. c. n. 23.* remissionem permitti in levioribus, etiamsi criminaliter agatur; nec etiam in gravioribus, si agatur solum civiliter. Ratio prioris est, quia finis remissionis ad

ad locum delicti est, ut ibi sumatur vindicta, ubi datum est scandalum & damnum, ut alij absterreantur, & læsæ Reipublicæ satisfiat: quæ ratio non ita urget in levioribus delictis. *arg. L. 3. pr. ff. de re militari.* Ratio posterioris est, quia in causis civilibus non permittitur remissio: ergò nec in illis, quæ civilibus comparantur. Cujus ratio ulterior est, quia non fit remissio nisi ad puniendum, ut patet ex juribus *n. 145.* adductis: at cum civiliter agitur, non intenditur punitio. Accedit, quòd quando de crimine civilis instituitur actio, crimen contractus nomine continetur, ac propterea forum cum contractu commune habet. *Donell. L. 17. c. 16. Umm. disp. 4. ad process. jud. th. 2. n. 8.* Videtur quidem dicendum, quòd remissio locum habeat etiam in levioribus criminibus, tum quòd leges, quæ remissionem statuunt, generaliter loquuntur; tum quòd etiam per leviora forum acquiritur. Sed obstat praxis, ut notat *Oliva p. 3. for. Eccl. q. 20. n. 49.* & leges remissionem præscribentes loquuntur de criminibus: at *criminis* verbum propriè gravius delictum denotat, ut ex *L. 17. §. 18. ff. de edil. edict.* colligit *Wesenbec. in parat. C. ubi de crim.* Quanquam ex *L. 131. ff. de V. S.* constat, *crimen & delictum* quandoque confundi. Locum demum non habet remissio in delictis privatis, ut volunt *Zanger. p. 2. de except. c. 1. n. 201.* & *Carpz. L. 2. Jur. Elect. resp. 26. n. 19.* ubi malè allegat *Novell. 134. c. 8.* & *L. 1. pr. ff. de re milit.* malè item *Clarum & Farin.* cum isti loquantur de criminibus levioribus: potest autem etiam delictum privatum, v. g. rapina aut furtum, esse grave.

152. Dubit. IV. Cujus expensis facienda sit remissio. Faciendam esse judicat *Joan. Faber in L. un. C. de off. procons.* expensis ipsius remittentis, sicut etiam suo periculo debet remittere juxta *Novell. 134. c. 5.* Communis tamen opinio apud *Farin. cit. q. 7. n. 39.* tenet, periculum quidem pertinere ad transmittentem, si aliquam culpam committit non adhibendo debitam custodiam; expensas verò faciendas esse à petente. Quod tamen aliqui benè limitant, dicendo, tum demum expensis pe-

Q

tentis

tentis esse faciendam, quando nec delinquens nec accusator est solvendo: ex istis enim ille primo loco tenetur, hic secundo & in defectum prioris, nisi reus sit innocens.

154. Dubit. V. An si delinquens ex territorio, ubi deliquit, fugit ad aliud, & ibi captus est non à Judice competente, sed à privatis, & remissus vel reductus est ad locum delicti, ibi judicari ac puniri possit. Negandum est cum Bald. Salic. Cappoll. ac aliorum communi, quam referunt Clar. l. c. q. 96. n. 6. Farin. cit. q. 7. n. 40. Gomez. tom. 3. var. tit. de capt. reor. n. 5. ubi id fuse probat. Debet igitur talis reus relaxari & poni in pristinum statum ac libertatem, arg. L. fin. ff. de jurisd. L. qui fugitivus §. item Celsus. ff. de Ædil. edict. L. à divo Pio §. sententiam. ff. de re jud. quia illi, qui comprehenderunt, non habuerunt jus auferendi libertatem: ergo tanquam injuste spoliatus ante omnia est restituendus. Accedit, quòd juxta cit. Novell. 143. c. 5. ad jus remissionis requiritur, ut reus petatur à Judice, & ab hoc remittatur: ergo non potest peti à privatis, nec à privatis remitti. Idem dicendum est, quando ministri Justitiæ, qui in loco delicti vel domicilij reum capere quidem jure possent, in eo tamen non capiunt, sed in alieno territorio: censentur enim tunc esse privati, & relaxari reus debet: exceptis casibus, quos retulimus supra n. 54.

155. Dubit. VI. Quid agendum sit, si quis commisit plura delicta in diversis territorijs, & ab uno Judice detinetur propter unum delictum, ac ab altero petitur propter aliud delictum. Ubi viget consuetudo puniendi reos, ubi fuerint reperti, etiam propter delicta alibi patrata, de qua supra n. 149. res ista difficultatem non habet; non enim concedetur remissio, sed punietur reus eodem loco propter utrumque delictum. Seclusâ verò istâ consuetudine distinguendum est inter varios casus. Nam si pœnæ utrique delicto correspondentes sunt compatibles, ita videlicet, ut unâ jam inflictâ infligi adhuc possit altera, & una pœna est mitior alterâ, prius ille judicabit & puniet, in cujus territorio

itorio minus delictum commissum est, & idcirco ad eum facienda est remissio, ac postea reus ad alterum Judicem pro majore delicto puniendus mitti debet, cum à mitiore poena incipiendum sit. Si utrumque delictum & poena aequalia sunt, ille prius cognoscit & punit, apud quem detinetur reus. Si denique poenae sunt incompatibiles, v. g. si utraque est capitalis, pariter procedit ille Judex, à quo reus detinetur. Ita communis apud Haunoldum tom. 8. de Just. tr. 1. n. 92. Quin in tali casu infligi debebit poena utrique delicto correspondens, si is, qui punit, vindicare potest delicta alibi commissa, uti potest Judex domicilij, & de consuetudine etiam alij, in quorum territorio deprehenduntur rei. Ratio est, quia delicta non debent manere impunita; quod fieret, si poena inflingeretur uni solum delicto respondens.

156. Dubit. VII. An Judex domicilij contra reum possit procedere, si alter, ad quem fuit remissus, sit morosus & negligens in puniendo. Affirmant post Bart. & Alex. Decian. l. c. n. 27. Farin. l. c. n. 23. eò quòd delicta non debeant manere impunita. Hinc negant, posse à Judice delicti opponi remissionem & litis pendentiam. Ob paritatem rationis idem dicendum videtur de Judice delicti respectu Judicis domicilij. Addit Alex. in L. de die. §. fin. ff. qui satisd. cog. n. 8. posse ab eo, qui remittit, Judici remissionem petenti praefigi terminum, intra quem expediatur causa; secus se processurum contra delinquentem.

## §. IV.

*Quis sit Judex competens, si delictum in uno loco inchoatum, in altero consummatum fuit.*

## SUMMARIUM.

157. Multiplex status quaestionis proponitur.  
 158. Utriusque territorij Judex est competens, si delictum in uno inchoatum, in altero consummatum fuit respectu tam agentis, quàm patientis.  
 159. Aut etiam solum agentis aut patientis.

160. Imò etiamsi delictum in uno territorio solum mandatum, in altero consummatum fuit.

161. Respondetur ad opposita.

162. Declaratur, quid tenendum sit de cooperantibus.

163. Et quid, si delictum est perpetratum in confinio territoriorum.

164. Quid item, si perpetratum est in via publica.

157. Tres hîc casus distinguunt Felin. in c. ult. de for. comp. n. 13. & Farin. L. i. prax. crim. tit. 1. q. 7. n. 44. Primus est de delictis inchoatis in uno loco, & perfectis in alio tam respectu agentis quàm patientis, v. g. si quis aliquem aggrediatur vel capiat in uno loco & insequatur vel ligatum trahat in alium, ibique spoliet aut occidat: aut si feminam rapiat hîc & alibi violet. Secundus est de delictis inchoatis in uno, & consummatis in alio, non respectu utriusque, sed agentis tantùm vel patientis. Ut si quis stans in territorio Bavarico & bombardam explodens trahat stantem in Neoburgico: aut existens in illo delictum fieri mandet in isto. Tertius est, quando in delictis in uno loco inchoatis, & in alio consummatis, nec agentis nec patientis persona concurrît. Ut si delicta tractentur & præparentur in uno loco, perpetrentur in alio: aut si quis delictum suo nomine alibi patrandum hîc approbet & ratificet. Verùm non apparet, quomodo hic casus à prioribus, aut certè à secundo differat.

158. De primo casu dicendum est, utrumque Judicem esse competentem, ita ut alteruter, qui prævenit, possit procedere absque altero, neque teneatur remittere reum. Bald. in L. si quis non dicam C. de Episc. & Cler. col. 3. Marfil. in L. un. C. de rapt. virg. n. 150. Felin. l. c. n. 3. Farin. l. c. n. 45. quia utriusque territorium violatum fuit, si tam initium quàm consummatio actûs fuerunt illicita. Si verò licitum fuisset initium, v. g. si in uno territorio dominus servum aut pater filium moderatè coepisset castigare, & persequendo in aliud ibidem modum excederet & vulneraret, aut occideret, ad Judicem posterioris tantùm territorij punitio pertineret, ut notat Felin. l. c. Hinc patet responsio ad

ad celebrem quaestionem, quâ quaeritur, utrùm fur puniri possit in illo territorio, ad quod cum re furtiva profugit: dicendum enim est cum Bart. in *L. si dominum ff. de furtis*, ac plurimis alijs contra Clar. cit. §. *fin. q. 38. V. tu scis*. Covarr. cit. *c. 11. n. 9.* Farin. *l. c. à n. 7.* Fachin. *L. 9. c. 19.* posse puniri non tantùm, ubi furtum fecit; sed etiam ibi, quò cum re furtiva se recepit: quia continuata contrectatio est continuatum furtum, & quò longiùs rem furtivam aufert, eò graviùs lædit, eoque loco puniri potest delinquens, ubi scandalum præbetur ac perniciosum exemplum; hoc autem fit per furti continuationem. Neque obstat, quòd delictum sit moraliter unum, & ideò non multiplicetur actio furti respectu ejusdem domini: quia continuatio retentionis sufficit, ut censeatur utrobique deliquisse & utrumque locum violasse.

159. Alter casus de jaculante in hoc territorio & occidente existentem in alio, controversus magis est. Afferunt Bart. in *L. libellorum ff. de accus.* Felin. *l. c. n. 14.* Zanger *de except. p. 2. c. 1. n. 233.* Carpz. *p. 3. pract. crim. q. 110. n. 18.* puniri reum posse tantùm ibi, ubi consummatum delictum fuit. Utrobique vindictam in solidum sumi & poenâ ordinariâ delictum consummatum puniri posse tradit communis aliorum apud Farin. *l. c. n. 46.* & Palao *tr. disp. 1. pun. 24. §. 5. n. 28.* ubi ait, ita receptum esse consuetudine jure gentium introductâ. Quæ sententia apertè tradi videtur *L. 1. C. ubi de crim. agi oport.* ubi dicitur, perfici debere quaestiones criminum, *ubi commissa vel inchoata sunt.* Neque satisfaciunt, qui dicunt, textum intelligi debere de quaestione inchoata, videlicet perfici eam debere, ubi inchoata fuit, id est à Judice vel delicti consummati vel domicilij: nam verbum *inchoata* cum sit generis neutrius, non potest aptè referri ad substantivum *quaestiones*; estque sub hoc verbo *inchoata* intelligendum id, quod sub verbo *commissa*; atqui sub hoc intelligi nequeunt *quaestiones*, cum crimina, non quaestiones committantur. Et ita hanc legem intelligunt Wesenbec. & Brunnem. *ibi*, Hillig. in *Don. L. 17. c. 16. lit. B. Rittershus.*

hus. in *Novell. p. 9. c. 10. n. 56.* Rationem communiter dant, quia, ne delicta maneant impunita, expediebat, ut utrique territorio jurisdictio tribueretur; præsertim quia utrumque in tali casu læditur, & aliquando delictum facilius probari potest in uno, quandoque facilius in altero. Neque obstat, quod asserit Carpz. *l. c. n. 19. § 20.* in delictis qualitatem potius patientis, quam agentis considerari: hoc ipsum enim hic controversum est, & cit. *L. 1.* contrarium statuitur: neque refragatur text. *L. 43. ff. de ritu nupt.* quem adducit, ut consideranti patebit. Pariter non obest, quod ait, delictum in loco, ubi perficitur, suam accipere formam, per quam dicitur delictum: nam bene dicitur, etiam ibi accipere suam formam, ubi actio efficax ponitur, ex qua sequitur vulnus aut mors. Illud omnino concedendum est, quod cum Bart. & communi tradit idem Carpz. *L. 2. Jur. Elect. resp. 28. arg. l. D. Adr. ff. ad L. Cornel. de Sicar. L. 15. pr. § L. 52. ff. ad Leg. Aquil.* si quis vulneratus lethaliter hic fuit, & postea alibi mortuus, non ibi vindicandum crimen, ubi mors secuta est, sed ubi actio mortifera posita vel vulnus inflictum: quia in delictis non tam exitus, quam factum, voluntas, & animus delinquentis consideratur. Qua de causa sacrilegium non committit nec asylo privatur, qui extra locum sacrum vulnerat, tametsi vulneratus se recipiat in locum sacrum, ibique moriatur.

160. Major adhuc controversia est de mandante, utrum videlicet hic, ubi mandatum dedit, puniri possit ob delictum ex suo mandato alibi perpetratum. Negat communis DD. apud Farin. *l. c. n. 4.* Certum in primis est, posse mandatum in loco mandati puniri poenâ extraordinariâ & mitiori, quæ mandantibus imponi in delictis atrocibus solet etiam effectu non secuto. Certum pariter est, puniri poenâ ordinariâ posse in casu, quo solum mandatum & affectus, quamvis effectu non secuto, punitur poenâ ordinariâ, qualis casus de assassinatu mandato habetur *C. 1. §. 2. de homicid. in 6.* ac alius *L. quisquis 5. C. ad L. Jul. majest.* Sed & absolutè puniri poenâ ordinariâ mandantem in loco mandati



dati posse, si effectus secutus est, censeo cum Bald. Alex. aliisque, quos allegat & sequitur Farin. *l. c. n. 28. §. verum, & §. in hoc*, ac Haunold. *l. c. à n. 97.* quia hinc puniri potest lapidem aut glandem mortiferam hinc emittens, & occidens existentem in alio territorio, ut modò dixi *num. preced.* at inter mandantem & jaculantem videtur esse omnimoda paritas, quia uterque est causa efficax mortis secutæ, & æquè homicida est, qui est moralis causa homicidij, quàm qui physica, teste ipso Deo Davidem ob Uriæ cædem mandatam arguente & puniente, & æquali poenâ plectitur mandans homicidium ac illud committens, ut fuse Menoch. *de arbitrar. l. 2. cas. 353. n. 2.*

161. Neque obest, quod pro contraria opinione affertur ex *L. si quis uxori §. neque verbo & L. qui seruo §. 1. ff. de furt.* obligationem, quâ mandans tenetur, non ex mandato, sed ex delicto oriri: tametsi enim ex delicto teneatur, non tamen sequitur, quòd ibi tantùm puniri possit, ubi delictum physicè patratum est; sicut non sequitur, quòd ibi puniri debeat, ubi effectus seu mors secuta est, tametsi propter hunc effectum puniatur. Pariter non obest, quod ajunt, mandantem & mandatarium teneri ex delicto, quod est idem ac unicum respectu utriusque, ac propterea utrumque in loco delicti puniri debere ob continentiam causarum. *L. nulli C. de judic.* nam etsi idem sit factum & delictum, diversæ tamen ex illo oriuntur obligationes, quarum una non accedit alteri, ut post Boss. declarat Farin. *l. c. §. tertio facit*, ac propterea cessat ratio de continentia causarum. Verùm de hoc uberius infra, quando de hac continentia agetur.

162. Circa tertium casum *n. 157. in fine* propositum varias distinctiones adhibet Farin. *n. 49.* Mihi breviter dicendum videtur quoad primum exemplum de preparante delictum in uno loco & exequente in alio, si ipse, qui hinc illud præparavit, exequatur in alio, puniendum esse in loco delicti, nisi locus, ubi instructum fuit delictum, sit locus domicilij. Farin. *l. c. §. quòd si cum Bart. Angel. & Beroio.* Si ille, qui hinc tractavit de delicto, non sit is, qui alibi est executus, idem dicendum est, quod de

R

man-

mandante. Et quidem puniri hic poterit poenâ ordinariâ, si auxilium & opem, imò & consilium præstitit actu, & per hæc causa efficax fuit committendi delicti, aliàs non patrandi, ut tradit communis apud Menoch. *L. 2. de arbitrar. cas. 349. n. 2. & cas. 351. n. 17.* secùs, si aliunde parato occidere arma præbuit, modum occidendi ostendit, vel consilium dedit: quia tunc minori & extraordinariâ poenâ afficiendus esset. Menoch. *cit. cas. 349. n. 5. & cas. 351. n. 22.* Idem dicendum de ratificante delictum suo nomine patrandum: poterit enim sicut mandans, in loco ratificationis puniri, & quidem poenâ ordinariâ, si sine ratihabitione patrandum non fuisset delictum; quia tunc est instar mandantis, ut observat Menoch. *cit. cas. 351. n. 27.*

163. Sed dubium restat, quid tenendum sit, quando delictum patratum fuit in confinio duorum territoriorum, *auff der Gräniz und Anwendung* & ignoratur, in utro eorum patratum sit. In varias hic opiniones abierunt DD. Nam primò non pauci, ut Innoc. *in C. super eo n. 2. de Paroch. Schneidevvin. ad §. ult. n. 8. Inst. de Jur. N. G. & C. Petr. Theodor. colleg. crim. disp. 4. th. 3. lit. B. Zanger. de except. p. 2. c. 1. n. 137.* ac alij ajunt, considerandum esse locum, in quo caput tanquam principalior pars reperitur, & loci hujus Judicem censerì debere competentem excluso alterius territorij Judice. *arg. L. 44. ff. de relig. & sumpt. fun. ac L. 17. C. de pæn.* Hancque opinionem communiorem & praxi receptam asserit Zang. cum Theod. ubi tamen addunt cum Bald. *in L. 2. n. 1. C. ubi de crim.* & Nic. Everhard. *in top. loc. ab extremis n. 1.* utrumque esse competentem, si occisus ita prostratus jaceat, ut caput ejus utrumque territorium contingat. E contrario Niellus apud Carpz. *cit. q. 110. n. 31.* aliique apud Bocer. *tr. de Jurisd. c. 9. n. 12.* eum tantùm Judicem hoc casu competentem pronunciant, in cujus territorio pedes occisi reperiuntur, cum verisimile sit, ibi occisum fuisse, ubi stetit, qui interfectus fuit. Tertiò alij apud Carpz. *l. c. n. 28.* Judicem præferunt illius territorij, in quo cadaveris pectus & cor reperiuntur.

Quarto

Quartò Bald. in *L. arbor. 19. ff. comm. divid. Zas. ibid. v. nota maleficium*, Casp. Leipoldi *de concurr. jurisd. q. 13.* Treutl. & Bachov. *vol. 1. disp. 19. th. 4.* aliique non pauci, utrique Judici jurisdictionem concedunt, ita ut ille præferendus sit, qui alterum prævenit tollendo particulam vel corporis vel vestis sanguinolentam ein freiß Pfand / oder Stich und Wundenmaß. Mihi postrema hæc opinio præplacet: cum enim dubium omnino sit, quo in territorio vulnus lethale inflictum sit, eò quòd signa illa pedum vel capitis in alterutro territorio jacentium incerta sint, ut benè ostendunt Carpz. Bocer. & Bachov. *ll. cc.* rectè medià vià inceditur, & utrique Judici jurisdictione conceditur, quia ratio vel conjectura, ut ponitur, non magis stat pro uno, quàm pro altero. Et ita in simili casu de Parochijs & Decimis in confinio sitis & dubijs discurrunt DD. cum Panor. in *C. fin. de Sent. n. 5.* & in *C. sanè §. additio de For. com. n. 7.* ac Felin. in *C. omnes de major. & obed.* Si tamen constaret, quo in territorio steterit occisor, quando vulnus lethale infixit, illud præferendum censeo: quia Judici illius competit jurisdictione juxta dicta *n. 159.* & dubium est, an competat etiam alteri: jurisdictionem autem certam aut multum probabilem unius excludere nequit dubia alterius. Nisi fortè ante præventionem factam reus verisimiliter assereret, vulnus inflictum fuisse in altero territorio: tunc enim utrique competeret jurisdictione juxta dicta *cit. n. 159.* Idem dicendum existimo in casu, quo sanguis effusus apparet in uno territorio: tunc enim hujus Judici privativè competere jurisdictionem non dubito, saltem si unum tantum vulnus inflictum fuerit: signum enim est, quòd occisus hic receperit vulnus lethale, & ulterius ad confinia progressus ibique mortuus fuerit, tametsi sanguis ibi etiam reperitur, ubi cadaver. Idem dicendum cum Treutl. *l. c.* ac alijs, & utrique Judici cum jure præventionis competere jurisdictionem existimo, quando cadaver reperitur in flumine publico utrumque territorium terminante.

164. Similis & priori connexa quæstio est, ad quem perti-

R 2

neat

neat cognitio criminis in via publica patrati. Hic rursus colliduntur opiniones. Cognitionem & coercitionem competere ei, cujus est jus regale in via publica, existimant Zanger. *de Except. p. 2. c. 1. n. 241.* Borcholt. *ad c. un. L. 2. feud. n. 24.* Schneidewin. *in §. ult. Inst. de Jure G. N. § C. n. 8.* Beuster. *in L. admonendi, 31. ff. de Jurejur. v. 1.* Thom. Michaël *de Jurisd. concl. 50.* Sixtin. *L. 2. de regal. c. 2.* Carpz. *l. c. n. 41.* eò quòd juxta non paucos via publica inter regalia connumeretur, & Imperatorum ac Principum sit curare ea, quæ ad ejusdem securitatem spectant. E contrario cognitionem illi, qui habet merum imperium in territorio, ubi via publica est, tribuunt cum Alciato & Aurel. Guido Papæ *decif. 573.* Rol. à Valle *vol. 2. conf. 42. n. 35.* Cæpoll. *de Servit. c. 3. n. 30.* Rosenthal. *de Feud. c. 5. concl. 21.* Bocer. *de Regal. c. 2. n. 145.* & *de Jurisd. c. 9. n. 14.* Hæc posterior præplacet, quia juri est conformior. Nam 1. Via publica, ut cujusque provinciæ, sic cujusque territorij pars est. Cum ergò, qui merum imperium in provincia aut territorio habet, jurisdictionem criminalem ibi exercent, consequens est, quòd hæc etiam ad viam publicam, & quæ in ea committuntur, se extendat. 2. Via publica dicitur pars fundi vicini *L. Attius. 38. ff. de acquir. rer. dom.* unde cum via impetu fluminis aut terræ motu amissa est, confinis de suo proximo fundo eam præstare tenetur. *L. si locus 14. §. ult. ff. quemad. serv. am.* Cum ergò magistratus suam jurisdictionem extendat in omnem sui territorij fundum *L. ult. ff. de Jurisd. & L. pupillus §. territorium ff. de V. S.* pariter eam extendit in viam publicam. 3. Prætoris jurisdictio civilis ad viam publicam extenditur *L. 2. §. 20. 35. §. ult. ff. ne quid in loco publico, & L. 1. ff. de via publ.* Unde non est ratio, cur non etiam criminalis jurisdictio eorum, qui merum in territorio imperium habent, ad eam extendatur. 4. Qui jurisdictionem habet in terra mari proxima, potest eam porrigere etiam ad ea, quæ committuntur in mari adlito, ut docent Hier. de Monte. *tr. de fin. reg. c. 7. ac alij.*

V.

*Quâ pœnâ afficiendus sit subditus unius territorij  
propter delictum alibi patratum.*

## SUMMARIUM.

165. *Delinquens, etiam peregrinus, puniendus est pœnâ in loco delicti consuetâ.*

166. *Nisi ibi lata sit solum sententiâ generali.*

166. *Subditus in loco domicilij puniendus est pœnâ in loco delicti receptâ.*

165. Cùm delinquens puniri possit, ut hæcenus dixi, tam in loco domicilij, quàm in loco delicti, fieri verò possit, ut alia delicto statuta sit pœna in uno loco, quàm in altero, dubium restat, an si punitur reus in loco domicilij propter delictum alibi patratum, ubi diversa pœna in usu est, puniendus sit pœnâ in loco delicti usitatâ, an eâ, quæ recepta est in loco domicilij: item an puniendus sit pœnâ domicilij, si punitur in loco delicti. Videri potest, puniendum semper esse eâ pœnâ, quæ in loco domicilij statuta est: nam peregrinus, ut dixi suprâ à n. 66. non tenetur statutis locorum, ubi peregrinatur; puniri ergò nequit pœnâ hujusmodi statutis latâ. Verùm dicendum est, in loco delicti puniri reum peregrinum posse ac debere pœnâ ibi consuetâ. Ita communis DD. nemine, quem sciam, refragante: nam ratione delicti forum sortitur delinquens juxta dicta n. 136. Unde bene deducit Covarr. in C. Alma. de Sent. excomm. in 6. p. 1. §. 10. n. 2. ligari censurâ pro futuris culpis in aliquo territorio latâ, non tantum illos, qui tempore statuti conditi sunt subditi, & eos, qui post statutum factum sunt subditi; sed externos quoque non subditos, si in illo territorio delinquant.

166. Aliud de Sententiâ generali, de qua suprâ n. 42. statuunt idem Covarr. l. c. Butr. col. 3. & Panor. n. 3. in C. 21. de Sent.

R 3.

excomm.

*excomm. Suar. de Censur. disp. 5. sect. 5. n. 10.* aliique communi-  
ter, eaque ajunt non ligari extraneos ibi delinquentes, ubi lata  
est, ac propterea poenam per eandem latam puniri nequire. Patet ex  
*cit. C. 21.* ubi dicitur, hujusmodi sententiam tantum subditos ob-  
ligari. Imò neque illos ligari, qui subditi quidem sunt tempore  
delicti, non tamen erant tempore prolatae sententiae, tenent In-  
noc. Panor. ac alij *in cit. C. 21.* eò quòd sententia referatur ad  
tempus, quo pronunciatur.

167. An verò vicissim Judex domicilij, quando punit sub-  
ditum propter delictum alibi commissum, infligere debeat poe-  
nam in suo territorio vel statuto vel consuetudine receptam, con-  
troversum est. Affirmant aliqui apud Parisium *L. 4. consil. 159.*  
*n. 5.* Negant cum Bart. Aretin. Paris. Angel. Panor. Felin. Boss.  
ac communi Farin. *L. 1. prax. crim. tit. 3. q. 24. n. 167.* Clar.  
*L. 5. sent. §. fin. q. 85. v. tertius,* & puniendum esse reum affe-  
runt poenam statutam in loco delicti: eò quòd statutum speciale do-  
micilij non liget subditos ab illo absentes juxta dicta supra à *n.*  
*43.* & locum habeat duntaxat quoad delicta in territorio com-  
missa. Paris. *l. c. n. 6.* cum Bart. Bald. Alex. ac alijs. Quòd si in  
loco delicti nullum sit statutum specialem poenam imponens, pu-  
niendus tam ibi, quam in loco domicilij, erit reus juxta Jus com-  
mune. Alex. *vol. 2. consil. 111. n. 4.* Boss. *tit. de poen. n. 19.*  
Bart. *in L. 1. C. de SS. Trin. Oliva p. 3. For. Eccl. q. 3. n. 3.* Quin  
juxta Jus commune puniri in loco domicilij posse, tametsi in loco  
delicti ex speciali statuto specialis poena in usu sit, affirmant non  
pauci cum Paris. *l. c. n. 7.* dum absolutè tradunt, posse in loco  
domicilij puniri non quidem juxta jus mun-  
cipale, bene tamen juxta com-  
mune.

CAP.

CAPUT III.

De Foro Contractus.

§. I.

An Forum acquiratur in loco Contractus.

SUMMARIUM.

168. In loco Contractus quivis convenitur ratione contractus: etiam Clericus; sed solum coram Judice Ecclesiastico.
169. Etiam privilegiatus alius, nisi habeat privilegium in Corpore Juris clausum.
170. Idem procedit de quasi contractu & quavis conventionione.
171. Idem de distractu, seu negotio dissoluto.
172. Licet domicilium mutarit, qui in loco domicilij contraxit.
173. Juxta Statuta Bavariæ contrahens solum convenitur in loco domicilij.
174. Exceptis quibusdam casibus.
175. Quandoque etiam de Jure communi conveniri nequit in loco contractus.

168. Sortiri quemvis forum quoad contractum ibi, ubi contractum iniit, aperti juris est *C. ult. de For. comp. C. 1. §. 3. eod. in 6. L. heres absens 19. §. proinde. ff. de Judic.* ita tamen, ut Clerici conveniendi sint coram Judice Ecclesiastico, coram laico laici. *cit. C. 1. §. 3. & C. 1. de privil. in 6.* Neque obstat, quod Clericus absque licentia sui Ordinarij, cui videlicet ratione Beneficij vel domicilij subjectus est, in alienum Episcopum consentire nequeat juxta *C. significasti 18. de For. comp.* quia ibi agitur de prorogatione, eoque Episcopo, cui Clericus nullo modo subjectus est; secus si subjectus fiat ratione vel delicti, vel contractus, vel rei sitæ. Cur autem quivis in loco contractus conveniri possit, & si judicium suscipere ibi nolit, captis pignoribus ac manus injectione ad id compelli,

pellī, ratio est, ne creditores sumptibus & difficultatibus graventur in adeundo contra debitorem Judice domicilij. *C. 1. §. contra-hentes de For. comp. in 6. & ibi DD.* nam locus domicilij sæpe valde dissitus est, & ibi facile judicium fraudibus eludi possit; præterquam quòd in loco contractus facilius constare potest cum de ipso contractu, tum de solemnitatibus requisitis, quam ibi, ubi domicilium habet debitor advena.

169. Procedit assertio I. etiam de privilegiatis, ijs videlicet, qui privilegium habent, ut non nisi coram certo Judice respondere teneantur: nam nihilominus conveniri possunt coram Judice loci, in quo contraxerunt. *C. dilecti. 17. de For. comp. & cit. C. 1. de privil. in 6.* nisi habeant privilegium in corpore Juris clausum, ut post Bart. Castr. Felin. ac alij aiunt apud Petr. Barbosa in *L. 2. §. 3. ff. de Judic. n. 115.* Quæ tamen exceptio an jure subsistat, merito dubitari potest: nam si vera esset, sequeretur, quòd pupillus, vidua, ac miserabiles personæ, cum habeant privilegium in corpore Juris clausum *L. un. C. quando Imperator.* conveniri in loco contractus non possent; quòd tamen est contra mentem omnium, ut ait Barbosa *l. c. n. 118.* Milites quoque privilegium habent in corpore Juris clausum *L. tam collatores 18. pr. C. de re mil. & L. magisteria 6. C. de jurisd. om. judic. &* tamen in loco contractus conveniri possunt. *L. penult. C. de pact.* Et quòd non obstante privilegio in corpore Juris clauso quis in loco contractus conveniri possit, probat *L. 36. §. fin. ff. de Judic.* Verum sustineri adhuc posse videtur hæc exceptio communi DD. calculo approbata. Nam *L. un. C. quando Imp.* solum dicitur, quòd pupilli & miserabiles personæ ad Imperatoris tribunal trahi nequeant, alios verò ipsi trahere eò queant: non verò absolutum fore privilegium ipsis conceditur. De militibus non omnibus, sed solum in Oriente constitutis sermo est *cit. L. 18. C. de re milit.* Magistris militum de causis militum cognoscendi potestas tribuitur *cit. L. 6. C. de Jurisd.* non tamen cum exclusione aliorum Judicum. Demum *L. 36. ff. de Judic.* non est sermo de personis privilegium



gium in corpore Juris clausum habentibus, vi cuius non nisi coram certo Iudice conveniri possint.

170. Procedit Assertio II. Non solum de contractu, sed etiam de quasi contractu, & omni conventionione, ex qua oritur obligatio. Accurs. Jaf. Gotof. in *L. 27. de cond. indeb.* Panor. in *C. fin. de For. comp. n. 29.* Felin. *n. 27.* Kling. *n. 11.* Cuiac. in *L. 7. ff. de pact.* Zanger. *de Except. p. 2. c. 1. n. 109.* Umm. *ad process. jud. disp. 4. th. 1. n. 4.* ac communis apud Olivap. 3. *For. Eccl. q. 22. n. 20.* contra Cuman. Albert. de Ros. ac alios. Patet ex *L. 19. §. 1. & L. 20. §. 36. ff. de Judic.* Neque solum de obligatione, quæ principaliter ex contractu oritur, sed etiam de secundaria, ad damna videlicet & interesse. *C. dilecti 17. de For. comp. & ibi Pan. n. 6. Butr. n. 17. Felin. l. c. n. 19. Jaf. in L. 1. ff. de eo, quod certo loco n. 6. Dec. in L. si convenierit ff. de Jurisd. n. 31.*

171. Procedit III. etiam de distractu, ita videlicet, ut ratione hujus conventio locum habeat ibi, ubi distractum negotium fuit. Ita tenent post Castr. Alex. Butr. ac alios Tiraq. in *Leg. conub. gloss. 5. §. 8. & Barbosa in L. 19. §. proinde de Judic. n. 12.* ubi tamen hanc legem malè adducit, quia verbum *distrabere* ibi non accipitur pro *dissolvere*, sed pro *vendere* juxta *tit. ff. §. C. de distract. pignor. tit. C. de patrib. qui fil. suos distrax. ac L. 2. §. fin. ff. de transact.* Pariter non apparet, quàm benè adducatur *L. exigere dotem. ff. de Judic. & L. qui loco certo ff. de condict. indeb.* Ratio verò est, quia contractus & distractus à pari procedunt. *L. Pomponius §. præterea ff. de acquir. poss. ipsèque distractus mutuo consensu factus conventionem includit, & obligationem: ubi autem conventio fit, & obligatio contrahitur, ibi conveniri quis potest, ut modò dictum est.*

172. Procedit IV. ut licet in loco domicilij contraxerim, & domicilium mutarim, nihilominus ibi conveniri adhuc possim ratione contractus vel quasi. *L. 2. C. de Jurisd. om. Jud. & ibi Bart. n. 1. Bald. ac alij, Pan. in C. proposuisti de For. com. n. 8. Felin. n. 2. Dec. in L. cum quædam. ff. de Jurisd. n. 4. Barbosa in L. 19. §. proinde*

de de Judic. rubr. de For. contr. n. 11. quia licet forum domicilij mutari possit, non tamen mutari potest forum contractus. Marian. C. ult. de For. com. n. 56. & cit. DD.

173. Hæc juxta Jus commune asserta sunt. Aliter loquendum est juxta Jus Bavaricum: ex eo enim, quod tit. 19. art. 10. der Landrecht statuitur, ut nullus subditus provincialis alterum arresto gravari faciat in publicis nundinis, aut urbibus & oppidis, ubi neuter eorum civis est, sed ut ad Judicem suum ordinarium remittantur, bene deducunt Ill. & Excell. D. Schmid & Prænob. D. de Bassis Semicent. 1. Contr. 29. à n. 2. nullum subditum provincialem habere facultatem, alium subditum extra locum domicilij conveniendi. Cum enim Judex loci contractus jurisdictionem in personam & res advenæ exercere nequeat, nisi per arrestum, detentionem, manûs injectionem, & captionem pignorum, consequens est, etiam actionem & conventionem prohibitam esse, utpote quæ cum effectu in loco contractus intentari non possit. Neque ratio supra allata n. 168. in Bavaria locum habet: tum quod locus contractus & domicilij sæpe parum distant, tum quod tribunalia, præsertim superiora, ita constituta sunt, ut nemo justè allegare possit difficultatem litigandi, ac contra inferiorem Judicem, si justitiam non administrat, facillè adiri superior possit.

174. At etiam in Bavaria extra locum domicilij subditus provincialis conveniri potest I. Si ibi, ubi intentatur actio, bona possidet, quæ actori expressè vel tacitè hypothecata sunt. Ita statuitur tit. 11. art. 1. der Landrecht & tit. 3. art. 1. desß Band. Proceß consequenter ad L. fin. C. ubi in rem actio. L. si prædium C. de præd. & alijs reb. min. & C. fin. de For. comp. juxta quæ actio realis instituitur coram Judice loci, ubi res sita est. II. Si quis certo loco promisit se soluturum: tunc enim in loco, in quem condixit solutionem, conveniri potest, & per detentionem ac arrestum ad solutionem compelli. Quæ exceptio expressè habetur cit. tit. 19. art. 10. III. Si quæpiam civitas aut oppidum detinendi vel arre-

standi

standi facultatem ex antiqua consuetudine habeat. *cit. tit. art. 7.* Qualis consuetudo vigere dicitur in Metropoli Bavariæ Monachij & Landshuti. Idem dicendum est de privilegio. Videatur Illust. ac Excell. D. Schmid *ad cit. art. 7. 9. & 10.* qui cum Prænob. D. de Bassis *cit. Contr. 29. n. 10.* bene ait, valere pactum, quo subditi Bavariæ promittunt, se responsuros in loco contractus, vel coram alio Judice non suo: nam si juxta *cit. art. 10. tit. 19.* conveniri possunt in loco, in quem condixerunt solutionem, ut modo dictum est, non est ratio, cur non absolute valeat pactum de respondendo in loco contractus. Accedit, quod Jure Bavarico licita est prorogatio jurisdictionis, saltem tacita, uti aperte sumitur ex *tit. 5. art. 3. des Summarischen Proceß / & tit. 5. art. 13. des Gerichts-Ordnung.*

175. Sed & de Jure communi non semper conveniri in loco contractus potest debitor, videlicet si advena sit, & dum v. g. emit, statim ex loco recessurus est, idque nôrit venditor: censetur enim tunc, si pretium non statim expectat aut petit, fidem emptoris sequi, nec solutionem hîc petere, ac idcirco hîc convenire non potest. *L. 19. §. proinde 2. ff. de Judic. & ibi Gloss. Bart. Castr. Fulgos. Dixi I. si nôrit venditor, advenam emptorem statim discessurum: nam si hoc ignorat, convenire eum potest in loco contractus. cit. §. proinde.* Neque hæc sententia contradictorem habet, ut ait Fulgos. *ibi. n. 5.* Scientia verò aut ignorantia ex conjecturis probatur: v. g. si emptor peregrinus in loco contractus pergulam, tabernam, vel horreum conduxit, censetur animum habuisse aliquamdiu ibi permanendi, nec recedendi, donec satisfecerit obligationibus contractis. Ita omnes teste Barbof. *in cit. §. 2. n. 96. & 105.* Dixi II. si pretium non statim petit aut expectat: nam etsi sciat venditor, emptorem statim recessurum è loco, si tamen credit, solutionem ante discessum faciendam, convenire eum hîc poterit, quia fidem de pretio non habet, & moram in loco domicilij vel alio tempore hîc solvendi non concedit, ut observant *cit. DD. Ex dictis inferunt Bart. l. c. n. 1. Bald. col. 1. v.*

*sed pone*, Castr. n. 6. ac alij contra Fulgos. quòd venditor, si dicto modo secutus est fidem emptoris advenæ, eum in loco contractûs convenire non possit, tametsi is postea ad eundem locum, nondum factâ alibi solutione, revertatur: nisi, ut addit Castr. *in cit.* L. 19. §. 1. discedens emptor pergulam in loco contractûs servâisset. Idem porrò tradunt de venditore respectu emptoris quoad obligationem tradendi & evictionem præstandi. Similiter maritus de dote conveniri non potest, ubi de ea convenit, vel dotale instrumentum confectum est; sed solum in loco sui domiciliij. L. *exigere dotem* 65. ff. *de Judic.* & fusè ibi Petr. Barbofa. Denique Legatus conveniri in loco contractûs tempore legationis nequit super eo, quòd ante legationem contractum est, sed jus habet revocandi domum. L. 2. §. 3. & 4. ac L. 8. ff. *de Judic.* Quæ leges quomodo conciliandæ sint cum L. *eum qui* 5. §. 1. ff. *de constit. pecun.* videatur Cujac. L. 13. *obs.* 17. & Petr. Barbol. *in cit.* L. 2. §. 3. à n. 141.

## §. II.

*Utrum in loco Contractûs ad ejus dissolutionem  
agi possit.*

## SUMMARIUM.

176. *Varia opiniones DD. proponuntur.*  
 177. *In loco contractûs quisvis conqueri potest, sibi non esse numeratam pecuniam. Et agere ad rescissionem contractûs ex L. 2. C. de Rescind. vendit. Nec non de nullitate contractûs. Et Redditoriâ vel Æstimatoriâ actione ex ædilitio Edicti. Imò etiam ad restitutionem in integrum.*  
 178. *Respondetur ad opposita.*  
 179. *Episcopus loci contractûs relaxare juramentum potest, ut impugnari contractus valeat. Nec tamen rescindere contractum.*

176. Ingens hæc diffidium inter DD. est. Communis cum  
Bald.

Bald. Dec. ac Jafone, teste Oliva p. 3. de For. Eccl. q. 22. n. 8. & Brunnem. in L. 2. C. ubi & apud quem affirmat, in loco solum domicilij, & non etiam in loco contractus, ad hujus nullitatem, vel rescissionem agi posse. Forum competens agnoscunt etiam in loco contractus Covarr. L. 1. var. c. 4. n. 1. Molin. de Just. tr. 2. disp. 523. n. 23. Gratiani discept. for. c. 14. n. 22. Coler. de process. execut. p. 2. c. 1. n. 24. § 44. Prænob. D. de Bassis in 50. decis. Justin. decis. 4. n. 6. post Bart. Butr. Felin. ac alios, quos allegat Oliva l. c. Distingunt Petr. Barbof. ad L. 19. §. proinde. ff. de Judic. à n. 24. & Oliva l. c. à n. 9. & in loco solum domicilij rescissionem petendam affirmant, si contractus ex utraque parte fuit perfectus, v. g. si pupillus læsus in contractu cum auctoritate tutoris inito, aut Ecclesia in venditione bonorum cum solemnitatibus facta, restitutionem in integrum petant: agi verò etiam in loco contractus posse, si contractus ex utraque parte perfectus non fuit, v. g. si pecunia numerata non fuit, aut contractus ex aliquo capite fuit nullus, & de nullitate agitur. Sed & leges hinc antinomiam continere videri possunt: nam cit. L. 2. C. ubi & apud quem dicitur, pro restitutione in integrum adeundum esse *provinciae præsidem, in qua domicilium habent, quos convenis*: quo textu nituntur primæ opinionis DD. E contrario L. in contractibus 14. §. ult. C. de non num. pecun. statuitur, posse quemvis in loco contractus apud ejus Judicem conqueri intra biennium, sibi non fuisse numeratam pecuniam: quâ decisione se munit secunda opinio.

177. Ut ista ritè decidantur, inter varios casus distinguendum est. Et in primis ex cit. L. 14. certum est, in loco contractus conqueri quemvis posse ob non numeratam pecuniam. Ratio est: quia ibi, ubi convenit, pecuniam esse solvendam, quasi contrahitur ad reddendam syngrapham pecuniâ non numeratâ, & hac ratione eodem loco, ubi obligatio ad implendum nata est, peculiaris quoque & propria ad resolutionem ejusdem negotij obligatio nascitur. Certum est 2. ex recepta doctrina Bart. in L. 1. de SS. Trim. n. 20. agi in loco contractus posse ex L. 2. C. de rescind. vend.

*vend.* si quis in venditione læsus sit ultra dimidium justii pretij: eò quòd ex hac lege non absolutè agitur ad rescissionem contractùs, sed disjunctivè ad rescissionem vel supplendum pretium: & quoad forum respicitur contractus, eaque, quæ in ipso interveniunt: at læsio intervenit in ipso contractu. Certum esse videtur 3. posse in loco contractùs denullitate contractùs agi, v. g. si usuraria pravitas intervenit, ut ait Brunnem. ad *cit. L. 14. n. 18.* aut si invalidus fuit ob defectum solemnitatis, dolum quoad substantiam &c. tum quòd eadem est natura distractùs & contractùs *arg. L. Pomponius 13. §. 2. ff. de acquir. vel am. poss. L. Exempto 11. §. 5. & 6. ff. de act. empt.* tum quòd ad Judicem loci contractùs pertinet cognoscere de valore contractùs, cum non possit compellere ad ejusdem implementum, nisi priùs constet de ejus valore. Consequens ex modò dictis & certum est 4. ex *Ædilitio edicto* agi posse *redhibitoria actione* ad rescissionem contractùs in loco contractùs: quia Judicis, in cujus territorio contractus est initus, est cognoscere, utrùm ob vitium rei in contractum deductæ *redhibitoria*, vel *æstimatoria* seu *quantò minoris* competat. Igitur duntaxat dubium est de remedio extraordinario restitutionis in integrum. Et hoc quoque nobili officio Judicis loci contractùs expediri posse ex dictis consequens esse mihi videtur. Nam si coram hoc Judice agi potest ex *L. 2. C. de rescind. vend.* non apparet ratio, cur non etiam ejusdem officium ad restitutionem in integrum implorari possit: tum quòd læsio, ob quam petitur restitutio, in contractu æquè intervenit, ac læsio ultra dimidium, ob quam ex *cit. L. 2.* agitur, & nullum inter unum, ac alterum casum differentia est, quàm quòd major læsio necessaria est ad agendum ex *cit. L. 2.* quàm quando petitur restitutio in integrum, & nonnunquam etiam per restitutionem in integrum non petitur rescissio contractùs, sed solum supplementum pretij: tum quòd in contractu tacita semper obligatio & quasi promissio intervenisse censenda est ad ea præstanda & resarcienda, quæ alterum alteri debere & præstanda esse æquus Prætor arbitratu

tratus fuerit; ac idcirco dum agitur ad restitutionem, ex ipso contractu agitur: tum denique, quòd in loco contractus melior notitia ordinariè habetur de læsione facta & causâ restituendi, quàm alibi. Quam ob causam constitutum est *L. 2. C. ubi ratiocin.* ut qui administrationem gessit, in loco, ubi negotium & administrationem gessit, conveniri possit.

178. Neque obstat, quâ adversarij nituntur, *cit. Lex 2. C. ubi* *Capud quem cognit.* sic enim illa inquit: *consequens est, si de his (quæ ex transactione tradidisti) repetendis per in integrum restitutionem vel quamcunque aliam causam puta veris agendum, ejus adire te provincia præsidem, in qua domicilium habent, quos convenis.* ubi sub tò *adire* non necessariò intelligendum est *debere*, sed intelligi potest *posse*, non excluso videlicet Judice contractus. Deinde tametsi lex diceret, domicilij Judicem adiri debere, hoc tamen solùm de eo casu intelligendum foret, quo reus in loco contractus non invenitur, uti præter alios explicat Covarr. *l. c.* Nec valet, quod illi hîc dicunt, hac ratione nihil speciale illâ lege statui, cum aliunde manifestum sit, debitorem in loco contractus conveniri non posse, nisi ibi inveniatur: nam negatur suppositum, quòd Impp. ibi speciale quid statuere debuerint vel voluerint, notumque est sæpe unâ lege repeti, quod aliis jam decisum, vel ipso etiam naturæ lumine clarum est. Demum cum dicatur ibidem *vel quamcunque aliam causam*, sequeretur juxta adversarios, non tantum propter restitutionem in integrum, sed etiam ob pecuniam non numeratam, rescissionem ex *L. 2. C. de rescin. vend.* nullitatem contractus &c. adiri necessariò debere Judicem domicilij: quod falsum esse ex dictis constat.

179. Ex dictis consequens est I. quod cum Felin. Dec. Rom. Lap. ac alijs tradit Covarr. *l. c.* posse Episcopum loci, in quo contractus initus est, etiam cum extraneo, in juramento, quod contractui adjectum est, dispensare eum in finem, ut contractus impugnari & rescissio peti possit. Unde non apparet, quo jure Caldas *L. si curatorem 3. C. de in integr. rest. n. 31.* dicat, cavendum

dum esse ab hac Romani & Lapi doctrina, cum tamen ipse *l. c. n. 30.* tradat, in loco contractus restitutionem in integrum peti posse: nec enim ratio reddi potest, cur Judex loci contractus hanc restitutionem facere valeat, & non etiam Episcopus ejusdem loci juramentum ad eum finem relaxare: ideo enim Judex contractus restituere in integrum potest, quia potest ad contractum observandum compellere; atqui hoc ipsum potest Episcopus per censuras, si opus fuerit. Quin tradunt Felin. Alex. Jas. Bald. & Castr. apud Oliva *cit. q. 22. n. 12.* posse coram Episcopo, qui absolutionem à juramento dedit, agi ad ipsam rescissionem contractus jurati etiam inter laicos initi: eò quòd Judex preparatorij sit etiam Judex causæ preparatæ. *L. Ordmarij 13. C. de rei vind.* Verùm hanc doctrinam non immeritò rejicit Covarr. *l. c. n. 8.* & ipsa praxis: nam absolutio à juramento, quæ purè dependet à potestate spirituali, absolventi non tribuit jurisdictionem ad cognoscendum de re purè temporali inter laicos. Neque simpliciter & absolutè verum est, Judicem causæ preparantis esse Judicem etiam causæ preparatæ: ut probat *Lex 1. C. ad exhibend.* Neque contrarium asseritur *cit. L. 13. C. de R. V.* nam in casu hujus legis Judex causæ preparatorix erat simul Judex competens ad causam preparatam, ut notat Covarr. *l. c.* Consequens est 2. quòd quis repetere possit indebitum, ubi illud solvit, tametsi non sit forum rei. *L. qui loco 27. ff. de conduct. indeb.* & ibi Gloss. Costald. in *L. 19. §. si quis. ff. de Judic.* Matth. Steph. *L. 1. de Jurisd. c. 29. n. 29.*

## S. III.

*An debitor in loco Contractus conveniri possit, si ibi non reperiatur.*

## SUMMARIUM.

180. Nemo in loco contractus conveniri potest, nisi ibi reperiatur.  
181. Nisi sit simul locus domicilij.



182. *Aut ibi se responsurum promiserit debitor & foro domicilij renuntiavit.*
183. *Aut, ut quidam volunt, ibi bona sita non habeat.*
184. *Aut agatur de ratiocinijs publicis, vel etiam privatis.*
185. *Conveniri in loco contractus debitor non potest, tametsi alibi contumaciter latitet. Poterit tamen immissio in ejus bona fieri.*
186. *Heres etiam absens prosequi tenetur litem à defuncto in loco contractus coeptam.*
187. *Studiosi absentes ad locum Academiae citari possunt ob debita ibi contracta.*

180. Neminem in loco contractus conveniri posse, nisi ibi reperitur, certum est ex *C. Romana 1. §. 3. de For. com. v. nisi inveniatur ibidem*, & *L. heres 19. ff. de Judic. prin. v. si ibi inveniatur*: ubi licet solum agatur de hærede, mox tamen §. 1. loquitur J.C. universim de contractibus & quasi contractibus, de quibus eandem clausulam intelligendam esse, quæ est de hærede, tradit ibi Gloss. communiter recepta *ad §. si quis v. debeat*. At non est necesse ad hoc, ut conveniri in loco contractus possim, me in eodem loco aliquamdiu manere: nam conveniri possum, si post contractum initum recessi, ac postea eodem redij, quamvis denuo discessurus, ut post Castr. tradit Barbof. *in cit. L. 19. §. proinde n. 22.* ac verissimum esse dicit Oliva *l. c. n. 22.* quia Jura absolute statuunt, contrahentem in loco contractus conveniri posse, si ibi inveniatur; nec distinguunt inter permanentem & ex intervallo redeuntem. Favori solum nundinarum datum est *L. 1. C. de Nundin.* ut ad eas venientes de debitis alio tempore contractis conveniri nequeant: quamvis conveniri queant de ijs, quæ ijs ipsis nundinis contraxerunt.

181. Varias tamen limitationes hæc assertio patitur. Nam I. conveniri absens ratione contractus potest, si locus contractus sit simul domicilij: quia tunc Judex loci procedere contra absen-

T

tem

tem potest tanquam contra subditum ratione domicilij; contra subditum enim etiam absentem procedi posse notum est.

182. II. Conveniri contrahens in loco contractûs etiam absens potest, si ibi se responsurum promisit, simulque foro domicilij expressè renuntiavit. Gloss. 1. & 2. in *L. 1. ff. si quis in jus voc. non jer.* quam celebratissimam esse & omnes eam secutos ait Covarr. *c. 10. pract. qq. n. 5.* & usu judiciorum servari ex Alber. testatur Guttier, *p. 3. de Juram. confirm. c. 16. n. 4.* Ex quo cum eadem Gloss. 1. communiter inferunt (absque causa refragante Barbosa in *L. 19. §. 1. ff. de Judic. n. 46.*) quòd licet in contractibus regulariter locum non habeat remissio, contrarium tamen fit in hoc speciali casu renunciationis. Quin cum Baldo in *L. cum Artemidoram 4. C. ut in poss. legat. n. 5.* contendit Barbosa, *c. n. 49.* ad hunc effectum non esse necesse, ut quis expressè promittat, se responsurum in loco contractûs, sed sufficere, si renuntiet proprio foro domicilij. Hæc porro renunciatio omnino necessaria est, neque absque ea sufficet promissio de respondendo in loco contractûs: quia hæc promissio solum procedit sub clausula Jure communi expressa *si ibi inveniatur.* Covarr. *l. c. n. 6.* Barbof. *cit. n. 45.* Oliva *l. c. n. 25.* Nisi juramento firmata fuerit: tunc enim absque speciali renuntiatione fori proprii poterit promittens conveniri. Covarr. *cit. n. 6.* Guttier. *l. c. n. 5.* Matth. Steph. *L. 1. de Jurisd. c. 29. n. 39.* post Socin. Felin. Roman. Bern. Diaz. ac alios, *arg. auth. § qui C. de bon. auct. Jud. poss. C. 28. § C. Ex rescripto 9. de Jurejur.* Similiter si debitor in casum, quo in mora erit, se ad obstagia sive se sistendum personaliter aliquo in loco obligavit, poterit ad eum locum citari, licet ibi non inveniatur. *cit. C. 9. de Jurejur. & ibi Gloss. Guido Papa decis. 61. n. 2.* Coler. *de process. execut. p. 2. c. 1. n. 88.* Steph. *l. c. n. 41.* Zanger. *de Excep. c. 1. p. 2. n. 187.* Gaill. *L. 2. obs. 45. n. 2. & L. 2. de Pace publ. c. 2. n. 5. § 6.* An hanc renuntiationem facere possit etiam Clericus, controversum est. Negandum censeo cum Oliva *l. c. n. 27.* contra Mar. Socin. Barbof. *l. c. n. 224.*

ae alios : quòd enim in loco contractus conveniri coram Iudice Ecclesiastico possit, si ibi inveniatur, habetur ex lege *cit. C. 1. §. 3. de For. com.* ut autem etiam absens conveniri posset, deberet id fieri ex renuntiatione sui fori & prorogatione jurisdictionis alieno Episcopo facta: at hanc facere absque consensu proprii sui Episcopi non potest. *C. significasti. 18. de For. comp.* Quam prohibitionem renuntiationis impudenter stultitiæ damnat Cuiacius *ad Afric. tr. 7. in L. trajectitia 23. ff. de O. & A.*

183. III. Limitant Bart. *in cit. L. 19. §. 1. in fine* & Bern. Diaz *reg. 397. v. septimo fallit*, dicendo, remittendum esse debitorem ad locum contractus, si ibi non habeat bona, in quæ immissio fieri possit. Verum hoc non immerito reprobant Covarr. *l. c. n. 4. v. tertio subinfertur*, & Barbof. *l. c. n. 33.* cum Angel. Castr. Fulgos. ac communi aliorum: quia contrarium desumitur ex *cit. C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.*

184. IV. Limitat Covarr. *l. c. v. quarto illud* cum Felin. Franc. Marian. ac communi DD. asserendo, si agatur de reddenda ratione administrationis, administratorem cogi posse ad respondendum in loco administrationis, tametsi ibi non inveniatur, juxta *L. 1. §. 2. C. ubi de ratioc. agi oport.* Quod quidem omnes admittunt, si agatur de publicis ratiocinijs, per text. expressum *cit. L. 2. §. L. fin. C. ubi quis de Curiali.* Sed, si agatur de ratiocinijs privatis, id cum Angel. Imol. Domin. ac alijs negant Barbof. *in cit. L. 19. §. 1. n. 75.* Zanger. *p. 2. de Except. c. 1. n. 77.* & Matth. Stephani *p. 1. de Jurisd. c. 29. n. 37.* Moventur *cit. L. 1. C. ubi de ratioc.* Verum hæc potius contraria est: nam absolutè dicit; *eum, qui aliena negotia sive ex tutela sive ex quocunque alio titulo administravit, ubi hæc gessit, rationem oportet reddere,* ubi agit de rationibus privatis, nec distinguit inter casum, quo administrator invenitur in loco gesti negotij, & quo non invenitur. Afferunt quoque *L. cum proponas 9. C. de bonis auct. Judic.* sed nihil patrocinatur: solum enim ibi dicitur, eum, quem ex administratione negotiorum obligatum habes, conveniri à te

posse adito rectore provinciæ, videlicet si ille in provincia administrationem gessit. Neque hanc restrictionem ad rationes publicas patitur titulus generaliter conceptus *ubi de ratiocinijs tam privatis quàm publicis agi oportet*, nec verba *cit. L. 1. si ve ex quocunque alio titulo*, nec text. *L. 36. in fin. & L. 45. pr. ff. de Judic.* ut observant Hillig. *ad Don. L. 17. c. 14. lit. K. & Brunnem. in cit. L. 1. n. 4.*

185. V. Limitant Felin. *in cit. C. 1. n. 22. Diaz reg. 397. v. 11.* ac alij, tenentes, posse debitorem in loco contractus conveniri etiam absentem, si contumaciter latitat. Verùm hanc limitationem bene reiiciunt post Franc. & Ripa, Covarr. *cit. n. 4. v. tertio subinfertur*, & Barbof. *l. c. à n. 6.* quia *cit. C. 1. §. 3.* Judicij contractus tantùm permittitur, ut decernere possit immisionem in bona, quæ latitans habet extra locum contractus, & ut immisionem facere possit in bona, quæ habet in loco contractus. Nec favet adversarijs, quam allegant, *L. consentaneum §. C. quom. & quand. Jud.* Quia loquitur solùm de eo absente, qui citatus fuit, dum adhuc præsens esset. Et hoc solùm dicit Baldus *in cit. L. 8. not. 8.* quem proinde malè pro se allegant. Poterit tamen immissio in ejus bona fieri, ut infra dicetur *n. 200.*

186. VI. Limitatur quoad hæredem debitoris; nam si defunctus judicium in loco contractus accepit, seu litem cum creditore ibi contestatus fuit, tenebitur ejus hæres ibidem processum reassumere & continuare, tametsi ibi non reperiatur. *L. si is. 34. ff. de Judic.* quia per litis contestationem perpetuatur jurisdictio Judicis aditi. *cit. L. 34. & L. 30. ff. eod. L. & quia 5. ff. de Jurisd.* nec hæredis causa potior aut melior esse debet, quàm defuncti. *L. hæredem 59. ff. de R. J. L. an vitium 5. ff. de div. & temp. præscript. Zanger. l. c. n. 120. Carpz. L. 2. resp. jur. Sax. resp. 30. n. 10.*

187. VII. Denique limitant quoad Studiosos, qui relictis in loco Academiae debitis discedunt insalutato hospite, nec cautionem, nec suppellectilem relinquendo, unde creditoribus satisfiat. Hos citari à Rectore Magnifico posse, ubicunque locorum sint, tra-

tradunt Zaf. in L. ult. ff. de Jurisd. Matth. Stephani l. c. n. 33. & 34. Haunold. tom. 5. de Just. tr. 1. n. 358. eò quòd, dum immatriculantiur, promittunt, quòd se sistere velint, quando citantur à creditoribus vel Rectore.

## §. IV.

*An conveniri in loco Contractus possit, qui in alium locum solutionem condixit.*

## SUMMARIUM.

188. *Contrahens non in loco contractus, sed in illo, in quem solutionem condixit, conveniendus est.*
189. *Dummodo pactum de solutione alibi facienda contractui immediate fuerit adjectum.*
190. *Procedit assertio etiam de Clericis.*
191. *Quando debitor promisit respondere, ubicunque fuerit inventus, regulariter ubique conveniri potest.*
192. *Promittens solvere, ubi creditor voluerit, conveniri solum potest in loco domicilij vel contractus, nisi aliunde desumatur, quòd voluerit se obligare ad quocunque forum.*
193. *Promittens solvere in certo loco vel ubicunque creditori placuerit, conveniri solum potest in loco nominato, & locis non multum distantibus.*
194. *Qui promisit solvere Monachij & Ingolstadij, conveniri utrobique potest, sed non ad totam utroque in loco summam.*
195. *Ad totam verò summam utrobique, si promisit solvere Monachij vel Ingolstadij. Estque tunc electio fori penes creditorem. Sicuti est inter Forum Contractus & Domicilij.*
196. *Qui non solvit in loco, in quo solvere promisit, conveniri potest in loco Contractus vel Domicilij.*
197. *Quoad formam contractus, interpretationem, ac vim obligandi, attenditur locus, in quo is initus fuit, non in quem destinata est solutio.*

188. Contrahentes non in loco contractus conveniri possunt, sed in illo, in quem destinata est solutio, apertum est ex *C. dilecti* 17. *de For. comp.* ibi: *quia etsi fuisset privilegium tale (ut extra patriam conveniri non possent) concessum, non tamen prodesset illis, qui se certo loco respondere, vel solvere adversarijs promiserunt, cum ibi, & ubi domicilium habent, valeant conveniri.* Ratio est: *quia contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret, se obligavit. L. 21. ff. de O. & A. & contractum non utique eo loco intelligitur, quo negotium gestum sit, sed quo solvenda est pecunia. L. 3. ff. de reb. auct. Jud. poss.* Et quidem conveniri in loco solutioni faciendae destinato etiam advena potest, quamvis statim inde discessurus. *Gloss. in C. 1. §. nec etiam de For. comp. in 6. v. respondere, & ibid. Dominic. & Franc. Barbof. in cit. §. proinde n. 131. Oliva cit. q. 22. n. 35. cum Bart. Perusino. Aretin.*

189. Ut tamen debitor non in loco contractus, sed destinatione solutionis conveniri possit, juxta *Felin. in C. ult. de For. comp. n. 17. & Butr. ibid. n. 12. Dec. in L. si convenerit ff. de Jurisd. col. 22. v. tertio predicta*, ac alios, necesse est, pactum de solutione alibi faciendae contractui in continenti adjectum fuisse: si enim fieret hoc pactum solum ex intervallo, vi illius conveniri quidem is posset etiam in loco destinatione solutionis, non tamen excluderetur locus contractus, sed conveniri in utroque posset. Necesse insuper est, ut reus ibi inveniatur, ubi solvere promisit. *Dec. l. c. n. 23. ubi id dicit esse receptum, Covarr. cit. c. 10. pract. n. 6. v. undecimo, Barbof. in L. 19. §. 1. de Judic. n. 51.* Cum enim censetur quisque contraxisse ibi, ubi solvere promisit, ut modo diximus ex *L. 21. ff. de O. & A.* in loco autem contractus juxta dicta *n. 180.* nemo conveniri possit, nisi ibi reperiat, consequens est, nec in loco solutioni destinato conveniri posse, nisi ibi reperiat. Si tamen non tantum hic solvere, sed etiam hic se sistere iudicio promisit, causa huc remittenda erit, & respondere hic tenebitur promissor, tametsi hic non reperiat. *Covarr. l. c. v. duo.*

duodecimò cum Bald. Jaf. Dec. Rip. Felin. Curt. Jun. *arg. L. 7. §. 1. ff. qui satisd. cog.* Idem dicendum est, si certo loco solvere promisit, simulque foro proprio renunciavit. Covarr. *l. c. n. 5. v. sextò*, Barbof. *l. c. n. 56.* cum communi, & patet ex dictis *n. 182.* Idem denique dicendum existimat Covarr. *l. c. n. 6. v. decimò tertio* cum Innoc. Bald. Dec. Jaf. Alciat. ac alijs, de casu, quo quis solvere promisit certam pecuniæ quantitatem certo loco & tempore, v. g. Ingolstadij in nundinis S. Mauritij, posséque in his nundinis hîc conveniri, etsi hîc non reperiatur, & remissionem huc faciendam esse: eò quòd per dolum censeatur abesse, si constituto tempore ac loco non adfuerit, ac propter dolum judicetur adesse, sicut quoad effectum conventionis censeatur possidere, qui dolo desit possidere. *L. is qui dolo, & L. si autem §. 1. ff. de rei vind.* Verùm contra hanc doctrinam meritò insurgunt Barbof. *in cit. §. 1. n. 40.* & Oliva *l. c. n. 38.* nam *cit. C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.* contra absentes, *si fortè malitiosè seipsos occultent* (ut ait Pontifex) *ne citatio perveniat ad eosdem*, solum permittitur Judici contractus decernere faciendam immisionem in possessionem bonorum, quæ alibi habent.

190. Quod modò dixi, posse, qui solutionem condixit in certum locum, ibidem conveniri, etiam de Clericis procedit: etsi enim juxta dicta *n. 182.* non possint absque licentia proprii Episcopi prorogare jurisdictionem alieno; hoc tamen solum verum est de prorogatione directâ, non item de indirectâ, quæ fit, dum in aliena Dicecesi delinquant, contrahunt, vel solvere promittunt: horum enim si quid fiat, jurisdictionem in ipsos alieno Episcopo Canones concedunt *C. 17. & ult. ac C. 1. §. 3. in 6. de For. comp.* ut dixi suprâ *n. 168.*

191. Quid autem tenendum sit, quando solutio condicitur in locum incertum, aut certum quidem, sed multiplicem & varium, anceps quæstio est, ad quam ritè decidendam multiplicem casum statui oportet. Primus est, quando debitor promittit respondere & solvere, ubicunque fuerit inventus. Asserunt hîc

hîc Bart. Fulgos. Jaf. Dec. in *L. si convenerit. 13. ff. de Jurisd. Pa-*  
*nor. Butr. Felin. in C. 1. de Judic.* ac passim alij, posse creditorem,  
 in quocunque loco debitorem invenerit, solutionem exigere;  
 dummodo, ut aiunt, locus sit tutus. Addendum est: dummo-  
 do notabile damnum ex solutione v. g. hîc facienda debitori non  
 nascatur, prout fieret, si hîc pecuniam sub usuris mutuam sume-  
 re, aut cum impensis è loco domicilij eam petere, aut sua vendere  
 deberet &c. ac interim creditoris parum interfit hîc vel alibi so-  
 lutionem fieri. Variant quidem circa hunc casum opiniones  
 DD. uti videre est apud Mar. Socin. in *C. dilecti de For. comp. n.*  
*31. & Ripa in C. 1. de Judic. n. 71.* sed standum videtur communi  
 sub dictis limitationibus.

192. Alter casus est, quando debitor promisit respondere  
 aut solvere, ubicunque creditor voluerit. Hîc Bart. in *L. Titium*  
*S. tutores. ff. de adm. tutor. n. 1.* Panor. Butr. Jaf. Dec. ac com-  
 munis aliorum tenent, posse ubivis locorum, ubi inventus fuerit,  
 conveniri. Possè verò vi hujus pacti *respondebo aut solvam, ubi-*  
*cunque voluerit creditor*, conveniri ibi, ubi repertus non fuerit,  
 neminem, qui asserat, inveni. Foret profectò hoc nimis on-  
 erosum debitori, ac idcirco censendum non est, quòd se sic obli-  
 gare voluerit; sed solùm quòd secundùm leges, quæ eum conve-  
 niri non permittunt in loco contractûs vel destinatæ solutionis,  
 nisi ibi fuerit inventus. Nisi fortè expressè promiserit, se ubi-  
 vis, ubi voluerit creditor, compariturum; ut post Bald. notat  
 Jaf. in *cit. L. 18. n. 41.* E contrario cum eod. Bart. in *cit. L. 18.*  
*n. 4.* Duar. Costald. Donell. ac alijs, sustinent Matth. Stephani  
*L. 1. de Jurisd. c. 29. n. 12.* Treutler. *vol. 1. diss. 23. th. 3. lit. G.*  
 & Bachov. *ibid.* Brunnem. in *L. un. C. ubi conven. qui cert. loc. à*  
*n. 7.* generalitatem pacti, quo debitor respondere promittit, ubi-  
 cunque conventus fuerit, restringi ad locum habilem & idone-  
 um, videlicet domicilij & contractûs: eò quòd censendum sit,  
 hanc tantùm mentem promittentis fuisse, sicut alia non est, quàm  
 hæc, si indefinitè promittit, se responsurum & satisfacturum:  
 cum-



cumque id solum spectetur, ne facultas agendi intercidat, satis esse debere creditori, si possit experiri illis locis, quibus aliàs jus est. Et sic explicandos esse autumant textus *L. 43. ff. de Judic. & L. 43. ff. de constit. pecun.* ubi dicitur, ubique peti posse, & quocumque loco: quocumque videlicet agi potuisset, si locus adjectus non fuisset. Hæc sententia valde probabilis est: nisi quis expressè renuntiavit foro domicilij & contractus, aut alijs ex signis constet, quòd debitor per illam verborum generalitatem voluerit se obligare ad respondendum etiam extra duplex illud forum.

193. Tertius casus est, quando debitor dicit creditori Ingolstadij: *solvam Monachij vel ubicunque tibi placuerit.* Asserunt hinc Butr. in *C. 1. de Judic. col. 12.* Panor. *n. 22.* Ripa *n. 71.* ac communis teste Mar. Socin. *l. c. n. 30.* posse conveniri solum Monachij & locis æquè distantibus, non verò remotioribus. *arg. C. 15. de Rescript. & Clem. 2. de procurat.* Conveniri posse quocumque loco etiam remotiore cum Imola & Dec. affirmant Zanger. *de Except. c. 1. p. 2. n. 154.* ac alij nonnulli. Conciliat Barbosa *l. c. n. 153.* dicens, conveniri posse etiam in remotioribus, dummodo sint in eadem provincia. Quod etsi probabile sit, videtur tamen standum esse primâ sententiâ, cum ob auctoritatem DD. tum quòd mens debitoris non videatur esse ad quemcunque locum remotissimum, etiam in eadem provincia, ad quem accedere non solet, se obligare.

194. Quartus est, quando promittit debitor solvere Monachij & Ingolstadij. In utroque loco solutionem posse exigi, dubium non est. Non tamen utrobique integra summa, v. g. centum, peti poterit, sed 50. Monachij, & 50. Ingolstadij: nam, ut ait JC. *L. 2. §. 4. ff. de eo, quod cert. loc.* si quis stipulatur, *Ephesi & Capua, hoc ait, ut Ephesi partem & Capua partem petat;* cum natura copulæ sit æqualiter distribuere copulata. *L. reos 11. §. 1. ff. de duob. reis.* Socin. *l. c. n. 29.* Ripa *l. c. n. 69.* Hinc si tota summa alterutro in loco peteretur, obstaret exceptio *plus loco petitionis.* *L. 4. ff. de eo, quod cert. loc.* nisi adjunctum fuerit *in solidum;* tunc enim exceptione summæ uti debitor non poterit.

195. Quintus est, quando dicit debitor, se soluturum Monachij, vel Ingolstadij. Utrobique seu alterutro in loco tunc agi poterit, & quidem ad integram summam, cum utrobique contraxisse censendus sit. *L. 21. ff. de O. & A. Socin. l. c. n. 28. Zanger. l. c. n. 134.* Cujus verò sit electio, creditoris, ubi convenire velit; an debitoris, ubi conveniri, dubitatur. Respondetur: et si in alternativis electio sit penes debitorem quoad res alternativè debitas *reg. 70. Jur. in 6. & L. plerumque ff. de jure dotium:* quoad locum tamen exigendi arbitrium est penes creditorem. *cit. L. 2. §. 3. ff. de eo, quod cert. loc. dari oport. C. dilecti 17. de For. comp.* ita tamen, ut antequam creditor exigat, debitor alterutro, quo maluerit, loco solvere possit. *cit. §. 3. v. & generaliter.* Pariter in arbitrio actoris est, debitorem convenire in loco contractus vel domicilij, aliòve, ubi respondere vel solvere promisit. *Arg. L. 19. §. ult. & L. 52. §. 3. ff. de Judic. L. 25. pr. C. de Ep. & Cler. & ibi Bald. Afflict. decis. 257. Zanger. l. c. n. 205.* cum forum ex contractu vel quasi acquisitum non tollat forum domicilij, sed forum foro accumulet. *C. 8. & 20. de For. comp. & ibi Canonistæ.* Ibi tamen finem accipere debet actio, ubi fuit intentata, cum sit locus præventioni, quæ fit per solam citationem. *L. pen. ff. de petit. hered. & L. si quis 7. ff. de Judic.*

196. Quæstio superest, ubi conveniendus sit debitor, qui non solvit certo loco, quo solvere promisit. *Arbitrariâ actione & in alio loco potest conveniri,* respondet Imp. *L. un. C. ubi conven. qui cert. loc.* Sed dubitatur etiamnum, an ubivis, ubi reperitur, conveniri possit. Negandum est cum communi DD. quia adjectus locus facere non potest, ut ibi conveniatur, ubi aliàs nullo adjecto loco non conveniretur. Igitur conveniendus est in loco domicilij vel contractus: eritque tunc Judicis æstimare, quanti intersit actoris vel rei, destinato loco factam non esse solutionem. *L. 3. ff. de eo, quod cert. loco.*

197. Caterùm quæ hætenus dicta sunt de conveniendo reo non in loco contractus, sed in loco destinatæ solutionis, so-

lum procedunt de ipsa conventionem : nam quoad reliqua consideratur locus ipsius contractus, videlicet quoad ejusdem solemnitates, vim obligandi, interpretationem &c. ita ut quoad ista observanda sint statuta loci, in quo contractus est initus. Bart. in *L. cunctos populos de SS. Trin. n. 16.* Bald. in *L. 1. C. ne fil. pro patr. n. 5.* Alex. *L. 5. conf. 41. n. 4.* & in *C. ult. de For. comp.* Panor. *n. 3.* Butr. *col. 5.* Felin. *n. 18.* Patet ex *L. si fundus 6. ff. de eviction.* Nec obstat, quod dicitur *L. 21. ff. de O. & A. contractis* unumquemque intelligi in loco, in quo ut solveret, se obligavit: hæc enim est solum fictio juris quoad facultatem conveniendi, re ipsa autem contractus celebratur, ubi verba profertur, vel scriptura fit, quibus contrahitur. Panor. & Felin. *l. c.* Dec. Jaf. ac alij apud Barbof. in *cit. §. proinde n. 64.* Ex quo contra Bald. & Tiraq. communiter inferunt, gabellam, sicubi ex contractu solvitur, solvendam esse in loco contractus, non destinatae solutionis.

## §. V.

*Quomodo contra debitorem in loco Contractus procedendum sit.*

## SUMMARIUM.

198. *Contra contrahentem citatum in loco contractus procedi potest, tametsi absens sit.*  
 199. *Si non comparet intra terminum præfixum, contumax habetur.*  
 200. *Si ante citationem abijt, compelli non potest ad se sistendum iudicio, nisi in loco contractus domicilium habeat.*  
 201. *Immissio ex secundo decreto contra absentem prius non citatum facienda non est.*

198. De peregrino hîc sermo est, seu illo, qui extra locum sui domicilij contrahit: si quis enim in loco domicilij contrahat, vel ibi ratione contractus alibi celebrati conveniatur, agi adver-

sus eum potest tanquam contra inquilinum & subditum, tametsi absens sit, ut dictum est supra n. 104. De peregrinis igitur agendo dicendum est, posse ipsos citari, si in loco contractus reperiantur. Quod si comparuerint, & litem contestati fuerint, procedi contra eosdem potest etiam ad sententiam definitivam, haud secus, quam si domicilium ibi haberent & subditi essent. *L. consentaneum 8. C. quom. & quan. jud. L. si is 34. jun. Gloss. fin. ff. de Judic.* Quin procedi contra eosdem ad sententiam definitivam potest in ijs causis, in quibus opus non est litis contestatione, dummodo, cum praesentes essent, legitime citati fuerint. Barbol. in *L. 19. §. 1. ff. de Judic. n. 31. Oliva p. 3. Fori Eccl. q. 22. n. 66.* cum Innoc. Ant. Panor. Aret. ac alijs. Non tamen executio in bonis alibi sitis fieri potest per Judicem contractus, sed per literas ad Judicem loci, ubi bona sita sunt, petenda est executio. *L. 15. §. 1. ff. de re judic. & C. postulasti. 14. de For. comp.*

199. Quod si advena in loco contractus post citationem ibi factam in termino non comparuerit, & litem non fuerit contestatus, etsi ad sententiam definitivam procedi nequeat in causis, in quibus litis contestatione opus est, contumax nihilominus habendus est tam quoad personam quam quoad causam, & idcirco per multas vel incarcerationem, ac in foro Ecclesiastico per censuras, compelli poterit ad litem contestandam. *C. 2. & 3. Ut lite non contest.*

200. Si verò ante citationem e loco contractus abiit, cogi non poterit ad ibi comparandum vel per se vel per procuratorem, ut dixi n. 180. cum varijs tamen limitationibus à n. 181. Idque etiam locum habet in casibus, quibus sine litis contestatione procedi ad sententiam definitivam potest, ut contra Ant. de Butr. tradit recepta DD. apud Covarr. c. 10. pract. n. 3. Ratio patet: quia ad sententiam definitivam contra absentem procedi non potest, nisi ob contumaciam; qui autem non comparet in loco contractus, non est contumax, nisi ante abitum fuerit citatus *C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.* ac idcirco ad sententiam censuræ, banni, similesque

lesque poenas personam concernentes procedi non potest. Poterit tamen in absentis bona, quæ in loco contractus habet, immissio ex primo decreto fieri, si post literas requisitorias ad Judicem domicilij datas non comparuerit. *cit. C. 1. §. 3.* Aliud de subtilitate Juris civilis dicendum existimat Castr. apud Barb. *l. c. n. 12.* eò quòd axioma sit, neminem conveniri in loco contractus, nisi ibi inveniatur. Verùm sensus hujus axiomatis duntaxat est, non posse procedi contra debitoris personam, nec contra ejus bona extra locum contractus sita, nec invitum trahi ad locum contractus debere; non verò locum habet de bonis in loco contractus sitis, ut explicat Covarr. *l. c. n. 4.* Quòd si bona non habet in loco contractus, decerni immissio poterit in ea, quæ habet alibi, ac propterea alterius Judicis, sub quo bona sita sunt, brachium implorari debet, ut dictum est suprà *n. 185.* & fusè probat Barbof. *l. c. à n. 15.*

201. Sed an in dicto casu, si videlicet debitor à loco contractus absens est, & ante abitum citatus non fuit, immissio ex secundo decreto in ejus bona fieri possit, controversum est. Negandum videtur cum Castr. *in cit. L. 19. ff. de Judic. §. 1.* Covarr. *cit. c. 10. n. 4.* ac alijs: quia ad hanc immissionem requiritur vera contumacia, quam non committit is, qui apud hunc Judicem se non tenetur defendere, forètque aliàs nullum discrimen inter eos, qui tantùm ratione contractus sortiuntur forum, ac illos, qui simpliciter subditi sunt ratione domicilij: cum tamen juxta *cit. C. 1. §. 3.* & communem DD. discrimen faciendum sit. Quæ porrò differentia sit inter primum & secundum decretum, traditur *C. ult. §. in alijs Ut lite non contest. & C. 1. ac 2. de eo qui mitt. in possess.*



CAP.

## CAPUT IV.

## De Foro Rei sitæ.

## §. I.

*An Forum acquiratur in loco rei sitæ.*

## SUMMARIUM.

202. Ratione rei sitæ quivis conveniri ibi potest, ubi sita res est.

203. Tametsi res sit mobilis.

204. Aut incorporea.

205. Non tamen actione personali, sed solum reali.

206. Hæc conveniri potest debitor, quamvis absens.

202. Ratione rei, super qua contenditur, quemque sortiri forum, seu obnoxium fieri jurisdictioni Judicis loci, in quo res litigiosa constituta est, regulæ instar receptum est ex *L. 1. §. ult. C. ubi in rem actio. L. quod 38. ff. de Judic. C. ult. de For. comp. §. C. 1. de privil. in 6.* Et quidem regulariter procedit de omnibus personis, ita ut conveniri actione reali in loco rei sitæ possit etiam privilegiatus, seu habens privilegium, vi cujus nisi coram suo Judice aliâs competente conveniri non potest. *cit. C. 1. de privil.* Videantur ea, quæ dixi suprâ à n. 137. Ex dictis consequens est, etiam Clericum, etsi cateroqui coram suo tantum Episcopo conveniri, nec sine ejus consensu alteri prorogare in se jurisdictionem valeat, conveniri posse in loco rei sitæ æquè ac in loco contractûs. Coram Ecclesiastico verò tantum Judice, an etiam coram laico conveniri queat, infrâ discutietur, quando de foro Clericorum agemus.

203. Procedit insuper regula non tantum de re immobili, sed etiam mobili, saltem si ista ad aliquod tempus in illo loco permanfura est. *Gloss. in cit. L. ult. Bald. ibid. n. 1. Castr. n. 3. Panor. in cit. C. ult. n. 43. Butr. n. 20. Barbof. in L. 19. §. proinde rubr. de*

Foro

Foro rei sitæ ff de Judic. n. 4. Quæ sententia, teste Sichardo in cit. L. ult. in fine, communi Germaniæ consuetudine recepta est, & meritò: quia Impp. cit. L. absolutè & sine discrimine immobilium aiunt, sed § in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri: res autem non tantùm fixæ, quæque solo cohærent, sed etiam mobiles, constitutæ in loco propriè dicuntur. Dixi saltem si res ad aliquod tempus permansura est: existimant enim Panor. Butr. ll. cc. cum Cyn. Bart. ac aliorum communi, si quis hæc transeat duntaxat cum equo meo vel mihi oppignerato, mox discessurus, hîc conveniri non posse, eò quòd res, quæ huc affertur tantùm in transitu, & non ut diu hîc maneat, non censeatur adesse. arg. L. debitor. ff. de pignorib. Cautelam tamen addunt: si advena, qui cum re mea huc venit mox abiturus, suspectus sit de fuga, quia in loco domicilij non habet bona immobilia, cogetur cautionem præstare de judicio sisti coram Judice competente, & quidem non juratoriam tantùm, sed satisfactionem; aut si personæ qualitas postulat, res sequestrabitur. Imò etiam si de fuga suspectus non sit, ut quia possidet immobilia in patria, cautionem cogetur præstare de re exhibenda. Verùm alij sequuntur Azonem sine discrimine asserentem, posse hîc agi in rem, si hîc invenitur; quod esse tutissimum putat Sichard. l. c.

204. Neque hîc nomine rei venit tantùm res corporea, profana vel Ecclesiastica; sed etiam incorporalis: cùm & rerum incorporatarum causâ actiones in rem proditæ sint §. æquè 2. Inst. de action. tot. tit. ff. si servit. vindic. L. pen. §. 1. ff. si ususfr. pet. eæque res quasi possideri dicuntur L. ult. ff. uti possidet. L. ult. ff. de itin. a. l. que priv. L. 9. §. 19. ff. de pet. hered.

205. Cùm verò Impp. cit. L. ult. dicant, in rem actionem moveri debere in locis, ubi res est, idcirco in loco rei sitæ locum non habent actiones, quæ in personam propositæ sunt, quamvis ad rem agatur, puta si actione empti petatur, ut res tradatur; actione personali ex stipulatu, ex testamento, aliâve; ut servitus realis  
urba;

urbanorum vel rusticorum prædiorum, vel personalis, nimirum ususfructus, usus, & habitatio, constituatur. Gloss. in *L. forma. §. si verò ff. de censib. v. levare*. Bart. Castr. Fulg. in *cit. L. ult. Panor. & Canon. in C. ult. de For. comp.* quia actio personalis non adhæret rei, neque eam sequitur. *L. fin. §. fin. ff. de contrab. empt.* Erit igitur intentanda, ubi vel reus domicilium habet, vel ubi contractum est. An verò actio personalis in rem scripta, ac eas, quas aliqui *mixtas* dicunt, in loco rei sitæ proponi possint, *seq. §. discutiatur*: id duntaxat noto, actionem realem *cit. L. ult.* accipi pro omni actione in rem, sive ex legitimis & civilibus causis descendat, sive ex Prætoris jurisdictione comparata sit. *§ omnium. 1. & §. sed ista. 3. Inst. de action.*

206. Illud hic controversum est, possitne actio in rem in loco rei sitæ duntaxat intentari, quando reus ibi præsens est, prout de loco contractûs dixi *n. 180.* an verò etiam, quando est absens. Illud prius tenent cum Castr. in *cit. L. ult. n. 2.* Barbof. *l. c. n. 15. § 16.* Sichard. *l. c. ac in parat. ad tit. C. ubi de her. agi oport. Olivap. 3. For. Eccl. q. 23. n. 8.* Et videntur idem sentire Panor. Felin. Butr. in *C. ult. de For. comp.* Marian. Socin. in *C. sanè eod. n. 12.* dum asserunt, forum rei sitæ & contractûs comparari: at notum est, reum in foro contractûs non nisi præsentem conveniri posse. Communis tamen sententia & hodiernâ praxi approbata, de qua Vult. in *L. 1. C. ubi in rem actio. n. 20.* Zanger. *de Except. c. 1. p. 2. n. 286.* & Matth. Steph. *L. 1. de Jurisdic. c. 31. n. 6.* contendit, in loco rei sitæ etiam absentem conveniri posse, eò quòd in actione reali, utpote quâ agitur in rem, solum ista attendatur, non persona, & per consequens sufficit, illam esse præsentem. Accedit, quòd Impp. absolutè statuerunt, actione in rem agi posse in loco rei sitæ, sine addita clausula restringente *si ibi reperiatur debitor*, sicut de loco contractûs addita fuit *L. 19. de Judic. & C. 1. §. 3. de For. comp. in 6.* Quòd huic sententiæ non obstet textus *L. un. C. ubi de hered. agi oport.* ubi dicitur, *hereditatis controversiam ibi terminandam esse, si ibi, qui convenitur, ubi res hereditariæ sitæ sunt, degat,*

fusc



fusè ostendit Zanger. *l. c. à n. 288.* & Ummius *disp. 4. ad process. judic. th. 3. n. 16.* Igitur si reus ibi, ubi res sitæ sunt, non degit, citabitur in subsidium juris; qui si contumax fuerit, patietur missionem in bonorum possessionem.

## §. II.

*Quomodo agendum sit Petitorio in loco rei sitæ.*

## SUMMARIUM.

207. *In loco rei sitæ agi Vindicatione potest.*  
 208. *Confessoria vel Negatoria, Rescissoria, & Hypothecaria, quasi & Serviana.*  
 209. *Nec non ad exhibendum.*  
 210. *Petitione hereditatis.*  
 211. *Et Judicio familia heriscunda, communi dividundo, & finium regundorum.*

207. Quoniam ratione rei dupliciter agi potest; vel ad ipsam proprietatem, vel ad possessionem: idcirco postquam in genere de actione reali in loco rei sitæ intentanda dixi, speciatim nunc exponere placet, quâ ratione tam petitorio quam possessorio iudicio ibi contendendum sit. Et quidem si possideo fundum hîc situm, & ejus dominium prætendat Titius, cum hîc agere rei vindicatione debere aut certè posse, constat ex *L. ult. C. ubi in rem act. & C. 3. ac fin. de For. comp.* Pari ratione si fideicommissum vel species legata petatur, non actione personali, sed rei vindicatione, hæc ibi intentari potest, ubi res legata existit. *L. m. C. ubi fideicom. peti oport. L. 38. §. si autem. & L. 52. §. 3. ff. de Judic. Gomez tom. 1. c. 12. n. ult. Molina de Just. tr. 2. disp. 195. n. 9. Donell. L. 17. c. 15. lit. B. & ibi Hillig. Zang. l. c. n. 269.*

208. Quòd si Titius ad suum fundum situm in territorio Palatino per meum fundum situm in territorio Bavarico prætendat iter, actum, jus ducendi aquam, pascendi &c. agitur confessoria

soriâ vel negatoriâ actione coram Iudice territorij Bavarici, ut pote in quo res, de qua contenditur, sita est. *cit. L. fin.* Idemque est, si illis actionibus agatur ob servitutes urbanorum prædiorum: exercendæ enim ibi sunt, ubi est prædium serviens, cum hoc sit, propter quod contenditur: quia etiam rerum incorporalium causâ actiones in rem proditæ sunt. §. *aque 2. Inst. de action. tot. tit. ff. si servit. pet. L. pen. §. 1. ff. si ususfr. pet.* Pariter actione rescissoriâ, & hypothecariâ, quæ creditoribus datur de pignore Prætorio, quod creditores desierunt possidere, & quod à debitore in fraudem ipsorum alienatum est, quasi Servianâ, & Servianâ, ibi agitur, ubi sunt res, propter quas hæ actiones intentantur: cum sint actiones in rem. §. *4. Inst. de action. tot. tit. ff. de public. in rem act. L. ult. C. ex quib. caus. major. L. pignoris 11. C. de pign. act. Castr. in cit. L. ult. n. 2. Panor. in C. ult. de For. com. n. 43. Socin. in C. sanè eod. n. 4. Barbof. l.c. à n. 8. Tiraq. L. 1. retract. §. 8. Gloss. 5. n. 9.* non tamen Pigneratitiâ, utpote quæ personalis est. *L. petenti. 27. ff. de pign. act. & L. fin. C. de distract. pignor.*

209. Quin etiam actione *ad exhibendum* agi potest in loco, ubi res mobilis sita est: eò quòd hæc actio rem sequitur, & propter rem quemcunque ejus possessorem. *L. 3. §. 3. L. 5. §. 2. & L. 15. prin. ff. ad exhibendum.* Et licet hæc actio dicatur *personalis cit. L. 3. §. 3.* est tamen in rem scripta, ut post Oldendorp. Wefenbec. Mynsing. ac alios docet Manzius *ad §. 31. Inst. de action. rubr. de act. ad exhibend. n. 15.* quia tamen si suâ origine personalis sit, datur tamen adversus quemvis possessorem, cum nihil aliud, quàm rem exhiberi petatur. At etiam personales actiones in rem scriptas intentari in loco rei sitæ posse, tradunt Castr. aliique modò citati. Addit Donellus *in §. 1. Inst. eod. n. 14.* non ideò hanc actionem dici *personalem*, quòd in personam detur, sed quòd personæ agentis cohæreat, sicut personale beneficium dicitur, quòd personæ cohæret, & servitus personalis, quæ adhæret personæ: quo sensu etiam vindicatio, quæ

quæ datur matri ad repetendas res donatas liberis ob ingratitude-  
dinem, dicitur *personalis* L. 7. C. de revoc. donat.

210. Petitione hæreditatis agi posse non tantùm in loco  
domicilij rei, sed etiam, ubi res hæreditariæ sitæ sunt, perspicuum  
est ex L. un. C. ubi de hæred. ag. Quia tamen *petitio hæreditatis*,  
ut dicitur L. 25. §. 18. ff. de petit. hæredit. et si in rem actio sit,  
*habet præstationes quasdam personales, ut puta eorum, quæ à de-  
bitõibus exacta sunt* (& soluta L. 31. in fin. ff. eod.) *item pretio-  
rum*, quæ possessor ex rebus hæreditarijs venditis redegit: idcirco  
dubitatur, an etiam ad hujusmodi personales præstationes, ut-  
pote ad quas de se competit actio solùm personalis, agi possit in  
loco, ubi res hæreditariæ sitæ sunt, cùm ibi solùm concedatur  
actio in rem. Responsio facilis est, si sequamur opinionem  
Glossæ in rubr. ff. si cert. pet. & Alex. ibid. quam veriore & ma-  
gis sustentabilem dicit Maranta in specul. p. 4. dist. 3. n. 61. peti-  
tionem hæreditatis habere causam mixtam, seu esse tam in per-  
sonam quàm in rem, eò quòd duobus constet, videlicet rebus  
& præstationibus, quæ sunt personales. L. 7. & cit. L. 25. §. 18.  
ff. de petit. hæredit. In causis autem seu negotijs mixtis ita re-  
ceptum est communiter apud DD. in L. 2. ff. de V. O. ut dispositio  
de uno simplici, quod est principale, procedat etiam de alte-  
ro, ac proinde, quod de actione reali dicitur, eam esse proponen-  
dam coram Judice, ubi res sita est, id ipsum locum habeat in actio-  
ne personali mixta cum reali.

211. Quæ modò de petitione hæreditatis dicta sunt, pro-  
cedunt pariter de judicio *familiæ herciscundæ, communi dividun-  
do, & finium regundorum*. Mar. Socin. in C. 3. de For. comp. n. 6.  
*declar. 7. Roman. consil. 197. Tiraq. de retract. lign. §. 8. Gloss.*  
*5. n. 9. Zanger. l. c. n. 295.* quia licet origine in personam  
sint, cùm in ijs unus alteri quasi obligetur, mixtam tamen cau-  
sam habere videntur. §. *quædam actiones. 20. Inst. de Action. & DD.*  
*ibi*, hoc est, tam in personam sunt, quàm in rem. Quòd si de  
confinibus prædiorum rusticorum, de quibus solis competit judici-

um finium regundorum L. 2. prin. & L. 4. §. fin. ff. finium. regundorum, agendum sit, & prædia non sint sub ejusdem Judicis jurisdictione, adeundi sunt Judices, in quorum confinibus illa sunt sita, ut ipsimet causam audiant, aut alijs committant. arg. C. 32. v. si verò de Sentent. excomm. & C. 11. de Offic. deleg. vel illorum Judicum ac territoriorum communis Superior. Gail. L. 1. obs. 32. à n. 3. cum Bald. ac alijs, excepto casu, quo prædia essent feudalia: quia tunc cognitio pro litis & litigantium diversitate pertineret ad Dominum Feudi vel Pares Curia. Quòd si quis etiam actionem quòd metus causá, & noxalem mixtis annumeret, uti annumerant plurimi, idem de ipsis dicendum erit, videlicet in loco rei sitæ proponi posse. Si verò, quod tenent alijs, sint personales, sequitur, proponendas esse non in loco, ubi res metu extorta est, vel ubi servus aut animal invenitur, sed ubi cum quo agitur, domicilium habet; vel in loco delicti, si ibi deprehendatur. Mixtane autem an merè personales sint, decidendi hic locus non est.

## §. III.

*Quomodo Possessorio in loco rei sitæ agendum sit.*

## SUMMARIUM.

212. De possessione vel quasi agitur, ubi res sita est.  
 213. Sive agatur de retinenda possessione.  
 214. Sive de recuperanda.  
 215. Sive de adipiscenda.

212. Rescripserunt Imp. L. un. C. ubi de possess. agi oport. Ubi aut vis facta dicitur aut momentaria possessio postulanda est, ibi loci Judicem adversus eum, qui possessionem turbavit, convenit judicare. Et L. un. C. ubi de heredit. agatur: illic, ubi res hereditarias esse proponis, hæredes in possessionem rerum hereditariarum mitti postulandum est. Ex quo Bald. Salicet. & DD. generale hoc axioma deducunt, ibi de possessione vel quasi agi posse, ubi res constituta est. Verùm quia *interdicta omnia*, li-

cet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt, ut ait Ulp. L. 1. §. 3. ff. de interd. siue extraord. act. idcirco dicendum videtur, exercenda esse non in loco, ubi possessio est, sed ubi reus domicilium habet, nisi in loco possessionis turbata reus deprehendatur. Sed non refragatur Ulpianus decisioni Imp. non enim ait, judicia possessoria esse personalia, sicut actiones personales, quodque harum naturam sequantur; sed realia agnoscit, qualia revera sunt, & personalia nominat, quod discernat ab edictis Prætorum, quæ sunt Lex Prætoris, & Jus generale ad omnes pertinens; cum è contrario Interdicta sint jus privatum, seu ejus litigatoris, qui interdicto experitur, & quod Prætor solum inter litigantes interdixit. Pariter non obstat, quod Imp. L. 2. C. de interd. ajunt: *Præses provinciæ in eum, qui ejus provinciæ non est, nec ex interdicto potest cognoscere* Nam, ut cum Bald. ac alijs explicant Donell. & Brunnem. *ibi*, sensus duntaxat est, tamen interdicta parum noceant, cum de possessione solum agatur, non tamen coram Præsede hujus provinciæ posse agi contra extraneum, si non turbavit possessionem hic, sed solum alibi.

213. Cum igitur ad exemplum actionum realium agi de possessione vel adipiscenda, vel retinenda possit, ubi possessio est, idcirco si quis me turbet, impediatur, prohibeaturve uti possessione rei mobilis, vel immobilis, vel etiam quasi possessione rerum incorporalium, ut jurisdictionis, juris eligendi, patronatus, decimandi &c. servitutis, ususfructus, recte convenio turbantem interdicto *uti possidetis* aut *utrobi* in loco, ubi res sita, aut ubi vis turbativa facta est, tamen adversarius alterius provinciæ sit. *cit. L. un. C. ubi de poss. agi oport.* & *ibi* Bart. Castr. Bald. Salicet. Albert. Fulgos. Menoch. *rem. 3. retin. poss. n. 316. §. 323.* Pariter interdictum *de superficiebus*, quod exemplo interdicti *uti possidetis* comparatum esse notat Cuiac. *in paratit.* coram illo Judice proponendum est, sub cujus jurisdictione est solum, supra quod superficies existit. Eadem de causa interdicto *de itinere, actu, & via privatâ*, aut interdicto *de aqua quotidiana*, acturus, *ibi* turbantem

bantem aut impediendam convenit, ubi est prædium serviens, quod servitutem itineris, actûs, aut viæ debet. Eadem est ratio de interdicto *de rivis*, quo agitur de aquæductibus reficiendis. Eadem de interdicto *de fonte*, quo agit, qui ab haustu & usu fontis ejusve refectione impeditur. Ac universim, quando interdicto ad retinendam possessionem tendente agitur, vel Judicis officium imploratur, ut is turbatum in possessione vel quasi rei vel juris tueatur, aditur Judex, sub cujus jurisdictione possessio vel quasi est.

214. Similiter quando agitur de possessione recuperanda interdicto *unde vi*, similibusque *recuperanda* remedijs, judicat Judex loci, ubi possessio est. *cit. L. un. C. ubi de possess. & L. 38. ff. de Judic.* Quia verò vis etiam ibi fieri potest, ubi non est possessio, v. g. si fundus meus in territorio Palatino sit, & in Bavarico vim mihi quispiam inferat, eo animo, ut possessione fundi me privet, idcirco si ob vim illatam agere velim *ex lege Julia*, in territorio Bavarico agendum erit.

215. Si denique agendum sit ad adipiscendam possessionem interdicto aut *de tabulis exhibendis*, *quorum bonorum*, *quorum legatorum*, aut *interdicto Salviano*, aut ijs interdictis, quæ secundum edictum Prætoris ex causa, ex qua Prætor pollicetur se bonorum possessionem daturum, dantur, ac oriuntur vel ex testamento, uti *bonorum possessio secundum* vel *contra tabulas*, de qua *L. 37. ff. tit. 5. & 11. ac §. sunt autem. 3. Inst. de bonor. poss.* vel ab intestato, veluti *unde liberi*, *unde legati*, *unde cognati*, *unde vir & uxor*, de quibus *cit. §. 3. & L. 38. tit. 6. 7. 8. & 11.* eo loco agendum est, ubi tabulæ, vel hæreditas, vel legatum, vel res in-vectæ & illatæ, quæ pro mercede domino prædij obligatæ sunt, inveniuntur. Idem dicendum existimant Zanger. *l. c. n. 376.* Mevius *p. 5. decis. 395.* & Brunnem. *ad tit. C. de edicto D. Hadrian. toll. n. 5.* si agatur remedio *L. fin. C. eod.* aut si ex *L. 3. C. de pignor.*

## §. IV.

*Utrum Forum rei sitæ & domiciliij concurrant.*

## SUMMARIUM.

216. *Actio realis solum in loco rei sitæ intentanda est.*

217. *Explicatur textus legis ult. C. ubi in rem actio.*

218. *Et legis un. C. ubi de heredit. agatur.*

219. *Nec non L. 10. & seqq. ff. de R. V.*

220. *Affertur ratio assertionis, confirmatæ Statutis Barvaria.*

216. Sensus quæstionis est, an actio realis pro arbitrio actorum intentari possit in foro rei sitæ, aut domiciliij. Affirmat cum Innoc. Panor. Mar. Socin. Bart. ac Baldo communis Interpp. *in cit. L. 1. & ult. ubi in rem act.* Quam opinionem non tantum in Scholis, sed etiam praxi fori receptam esse testatur Vult. *in cit. L. 1.* E contrario actione reali non in loco domiciliij ( nisi in hunc ultrò consentiat ) sed tantum ibi, ubi res sita est, conveniri reum posse, tenent Host. post Gloss. *in C. sanè 3. de For. comp. v. provincia*, Donell. *L. 17. c. 17. lit. D. & ibi Hillig. Zanger. c. 1. p. 2. de except. n. 346.* Prænob. D. de Bassis *in 50. decis. Justin. decis. 4. n. 10.* Ego verum esse censeo, quod Zanger. *l. c.* ait, hanc sententiam melioribus & firmioribus rationibus niti, & nec judicando, nec respondendo ab ea recedendum esse. Nam constat ex veteri vindicandi ritu, & fatentur adversarij, olim necesse fuisse vindicationem institui in loco, ubi res ipsa erat. Et licet superstitionosa formularum veterum scrupulositas sublata fuerit quæ desuetudine quæ *L. 1. C. de formul. sublat.* id tamen, quod de foro sortiendo constitutum fuerat, nullibi mutatum invenitur; imò potius stabilitum est: nam *L. ult. C. ubi in rem act.* rescribunt Impp. *Sed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri.* En! non tantum permittunt moveri actionem in loco rei sitæ, sed jubent. Et malè jussissent absolutè, in uno loco moveri, si permisissent moveri

moveri etiam in alio : sicut absolute juberi non possum comparere hoc die, si possum comparere & alio. Pariter *L. un. C. ubi de possess. agi oport. ibi*, inquit, *loci judicem adversus eum, qui possessionem turbavit, convenit (oportet) judicare.* Et *L. un. C. ubi de heredit. ag. illic* (aiunt) *ubi res hereditarias esse proponis, in possessionem rerum hereditariarum mitti postulandum est.* Quibus verbis optio eligendi fori excluditur, & necessario forum rei sitæ sequendum esse dicitur. Denique *JC. L. 38. ff. de Judic.* cum dixisset, legatum, si per actionem personalem exigatur, ibi dari debere, ubi est legatum &c. addit: *si autem per in rem actionem legatum petetur, etiam ibi peti debet, ubi res est.* Sensus est, si actione in rem legatum petatur, ibi, ubi est, non tantum dari, sed etiam peti debere. Non dicit *posse* peti (quod dicendum fuerat, si alibi quoque peti posset) sed *debere*.

217. Non obstat text. *L. ult. C. eod.* ubi dicitur: *actor rei Forum, si ve in rem si ve in personam sit actio, sequitur.* Nam etsi hic dicant Impp. forum rei sequendum esse, etiam quando actione in rem agitur, mox tamen explicant, quodnam sit forum competens rei, quando actio realis intentatur, dum addunt: *sed & in locis, in quibus res, de quibus contenditur, constituta sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri.* Neque verum est, quod Adversarij dicunt, particulas *sed &* esse copulativas, seu denotare, quod non tantum in foro ordinario, id est domicilij, conveniri reus actione in rem possit, sed etiam in loco rei sitæ: hanc enim explicationem non admittit verbum *Jubemus*: nam si etiam in loco domicilij conveniri reus posset, non juberetur actor agere in loco rei sitæ. Igitur illæ particulae, ut modò dixi, & notant Zanger. ac Hillig. *ll. cc.* explicativæ sunt, seu explicant, quod sit forum rei actione reali conventi, nimirum forum rei sitæ, ita ut dicant Impp. se statuere, ut actor forum rei sequatur; *sed &* illud se jubere, ut si actio in rem intentetur, in loco rei sitæ, tanquam tunc competente, adeatur: ut adeò particula *&* non connectatur cum verbis *in locis*, sed cum verbo *jubemus*. Neque hoc est



est miserè torquere textum, ut Donello objicit Bachov. *disp. 1. de action. th. 32. lit. c.* sed ritè exponere, cum nec mandatum Impm. jubentium actionem realem in loco rei sitæ proponi, nec verbum *debet cit. L. 38. ff. de Judic.* positum, aliam explicationem admittat. Non ignoro, idem verbum *debet*, quod JC. adhibet *L. cum certum. 9. ff. de aur. & arg. leg.* non importare necessitatem, sed æquivalere verbo *posse*. At ex eo, quòd aliquis terminus alicubi in sensu omnino improprio & alieno sumitur, non sequitur, quòd etiam alibi positus propriam vim significandi non retineat: aliàs tam textus *L. 19. §. 1. ff. de Judic.* quàm alij, per verbum *debet* necessitatem imponentes, per affectum sensum improprium eludi possent.

218. Pariter non obstat textus *L. un. C. ubi de hered. agatur*, ubi dicitur, si petitorio agatur super hæreditate, agi debere in loco, ubi domicilium habet reus, aut res hæreditariæ sitæ sunt. Nam cum petitio hæreditatis causam mixtam habeat, hoc est, detur tam in personam, quàm in rem *L. Sed etsi. 25. §. 18. ff. de heredit. pet. L. hæreditatis. 7. C. eod. & L. si suspecta. 29. §. 4. ff. de inoff. test. Zanger. l. c. n. 350. Schneidevvin. in §. actionum. Inst. de action. rubr. de petit. hered. n. 2. post Castr. Bart. ac alios in cit. L. 7. §. 25.* idcirco mirum non est, tam in loco domicilij, quàm rei sitæ proponi posse. Quod pariter juxta Zanger. *l. c. n. 351.* erit dicendum de alijs actionibus mixtam causam habentibus, uti est v. g. *familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum.* Dixi autem, si petitorio agatur super hæreditate, forum competens esse etiam locum domicilij: si enim ago de possessione hæreditatis, & me in bona hæreditaria mitti peto ex *L. fin. C. de edict. D. Hadr. toll.* coram Judice tantum, ubi res positæ sunt, id facere possum, nec alibi, ut habetur *cit. L. un. C. ubi de hered. DD. ibi, & Menoch. remed. 4. adip. poss. à n. 402.*

219. Non denique obstant *L. 10. §. 2. seqq. ff. de R. V.* juxta quas mobilis res restitui debet, ubi est, aut ubi agitur. Non enim ibi universim traditur, etiam alibi agi actione reali posse, quàm

Y

quàm

quàm ubi res est; sed solum statuitur, si alibi agitur, restituendam quoque ibi esse, ubi agitur; posse autem quandoque extra locum, ubi res sita est, agi, non diffiteor, nimirum quando illa pendente hic iudicio aliò translata est, aut quando contra reum consentientem ago in loco domicilij, aut quando possessor dolo malo ante iudicium eam aliò transtulit, cum tunc in loco domicilij conveniri possit, quasi ibi possideat, quia *pro possessione dolus est L. 131. de R. J.* aut denique quando res mobilis alicubi invenitur solum in transitu, & mox iterum abducenda est, juxta dicta n. 203. Auctoritati Vultej, contrariam opinionem praxi fori receptam asserentis, oppono aliam Gudelini *L. 4. de Jure noviss. c. 2. §. tertio testantis*, praxi maximè observari, ut ibi duntaxat actio in rem vel de possessione intendatur, ubi res sita est.

220. Ratio cum hujus praxis, tum nostræ sententiæ est, partim quia ibi, ubi res est, longè commodiùs actio intentari & iudicium perici, ac executioni mandari potest: partim quia actionibus realibus agitur ad rem ipsam contra possidentem, & in illis persona non est obligata *§. omnium. 1. Inst. de action. v. aut cum eo agit.* ac idcirco longè convenientiùs ibi agitur, ubi res obligata sita est. Qua de causa Jure Bavarico receptum est, ut actio realis solum in loco rei sitæ instituatur, sive de allodialibus sive de feudalibus agatur. *Es soll niemand sein Eigen noch Lehen schuldig seyn zu verantworten / dann in dem Gericht / dar in es gelegen ist. Landrecht tit. 11. art. 1.* Idemque in specie statuitur de actione hypothecaria in Ordinationibus Processus Edictalis *tit. 3.*

*art. 1.*

PARS